CORPUS SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
DE LOUVAIN-WASHINGTON

Les volumes du CSCO sont actuellement désignés par un sigle en deux parties qui exprime leur numéro d'ordre dans la *collection* et leur numéro d'ordre dans la *section* à laquelle ils appartiennent (Aeth. = éthiopienne, Ar. = arabe, Arm. = arménienne, Copt. = copte, Iber. = géorgienne, Syr. = syriaque, Subsidia); quand le volume est une version, la seconde partie du sigle est mise en italiques, — par exemple, CSCO 133 / Syr.68 (qui est un texte), mais CSCO 134 / *Syr.69* (qui est une version). Dans le présent Catalogue général, la désignation utilisée autrefois pour les vol. 1-123 et 125 fait suite à la désignation actuelle; T indique un volume de texte, et V un volume de version.

Le Catalogue général est envoyé sur simple demande adressée au secrétaire général de la Collection.

Souscriptions, commandes, offres de collaboration et, d'une manière générale, toute correspondance relative au CSCO doivent être adressées comme suit :


Professeur René DRAGUET,
Éditeur du CorpusSCO
49, Chaussée de Wavre, LOUVAIN-HÉVERLÉ, Belgique.

Derniers volumes parus:

240 / Syr.102. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Carmina Nisibena*, II. 1963. IV-144 p. — V : vol. 241. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218 et 223.
241 / *Syr.103.* Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Carmina Nisibena*, II. 1963. III-133 p. — T : vol. 240. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219 et 224.
242 / Subsidia, 22. L. ABRAMOWSKI, *Untersuchungen zum* Liber Heraclidis *des Nestorius*. 1963. II-233 p.
243 / Subsidia, 23. J. MOLITOR, *Glossarium Ibericum in quattuor Evangelia et Actus Apostolorum antiquioris versionis etiam textus Chanmeti et Haemeti complectens, Index Graecus-Ibericus*. 1963. 113 p. Cfr vol. 228 et 237.
244 / Syr.104. R. HESPEL, *Sévère d'Antioche. La polémique antijulianiste*. 1964. VIII-314 p. — V : vol. 245. Cfr vol. 93, 101, 111, 119, 133.
245 / *Syr.105.* R. HESPEL, *Sévère d'Antioche. La polémique antijulianiste*. 1964. IV-246 p. — T : vol. 244. Cfr vol. 94, 102, 112, 120, 134.
246 / Syr.106. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Hymnen de Ieiunio*. 1964. III-46 p. — V : vol. 247. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218, 223 et 240.
247 / *Syr.107.* Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Hymnen de Ieiunio*. 1964. II-37 p. — T : vol. 246. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219, 224 et 241.
248 / Syr.108. Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Paschahymnen. (De azymnis, de crucifixione, de resurrectione)*. 1964. IV-98. — V : vol. 249. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218, 223, 240 et 246.
249 / *Syr.109.* Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Paschahymnen. (De aeymnis, de crucifixione, de resurrectione)*. 1964. II-86 p. — T : vol. 248. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219, 224, 241 et 247.
250 / Aeth.47. C. CONTI ROSSINI col concorso di L. RICCI. *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yā'qob (Maṣḥafa Berhān)*, I. 1964. XI-165 p. — V : vol. 251.
251 / *Aeth.48.* C. CONTI ROSSINI col. concorso di L. RICCI. *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yā'qob (Maṣḥafa Berhān)*, I. 1965. V-98 p. — T : vol. 250.

(voir suite au recto)

Imprimerie Orientaliste, s.p.r.l., Louvain (Belgique).



CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM ORIENTALIUM
EDITUM CONSILIO
UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE
ET UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS
Vol. 118
SCRIPTORES COPTICI
TOMUS 14

S. ANTONII VITAE
Versio sahidica

INTERPRETATUS EST
GERARDUS GARITTE

LOUVAIN
SECRÉTARIAT DU CORPUSSCO
49, CH. DE WAVRE
1939

SCRIPTORES COPTICI

SERIES QUARTA — TOMUS I

VERSIO

S. ANTONII VITAE

VERSIO SAHIDICA

CORPUS
SCRIPTORUM CHRISTIANORUM
ORIENTALIUM

EDITUM CONSILIO

UNIVERSITATIS CATHOLICAE AMERICAE

ET

UNIVERSITATIS CATHOLICAE LOVANIENSIS

SCRIPTORES COPTICI

SERIES QUARTA

TOMUS I

VERSIO

MDCCCCXLIX

S. ANTONII VITAE


VERSIO SAHIDICA

INTERPRETATUS EST

GERARDUS GARITTE

LOVANII
E TYPOGRAPHEO LINGUARUM ORIENTALIUM
APUD L. DURBECQ

MDCCCCXLIX



PROOEMIUM

Versionem hic tradere voluimus textuum sahidicorum Vitae S. Antonii quotquot supersunt, aut saltem quotquot reperire potuimus.

Praeter textum integrum huius Vitae in codice Pierpont Morgan M 579, fol. 15 v-72 r, asservatum, fragmenta quattuor codicum praebemus, quos litteris A, B, C, D designavimus :

Codex A

A 1. Londini : Mus. Brit., Or. 3581 B (31), folium mutilum.
A 2. Parisiis : Bibl. Nat., 131 [5], fol. 93.
A 3. Londini : Mus. Brit., Or. 3581 B (31), folia tria.

Codex B

B 1. Neapoli : Bibl. Nat., I. B. 1, nº 344 (Zoega, nº CLXX).
B 2. Neapoli : Bibl. Nat., I. B. 1, nº 344 (Zoega, nº CLXX).

Codex C

C 1. Londini : Mus. Brit., Or. 3581 A (77).
C 2. Parisiis : Bibl. Nat., 129 [13], fol. 58.
C 3. Parisiis : Bibl. Nat., 131 [5], fol. 63.
C 4. Parisiis : Bibl. Nat., 131 [5], fol. 113.
C 5. Parisiis : Bibl. Nat., 129 [13], fol. 37.

Codex D

D 1. Parisiis : Bibl. Nat., 129 [13], fol. 44.
D 2. Parisiis : Mus. Lup., nº 10024 (R 191).

Plura de his codicibus inveniuntur in prooemio editionis textus coptici.

Voces e Sacris Scripturis desumptas *typis cursivis* expressimus. Notae « p. 1, p. 2 » etc. in marginibus positae lectorem referunt ad paginas editionis textus sahidici.

Si quid melioris huic versioni inest, adscribas velim viro doctissimo L. Th. Lefort, qui totum opus maxima patientia et diligentia inspexit ac recognovit; si quid peioris, nobis.

Singulares etiam libenter agimus gratias moderatori huius *Corporis* redivivi *Scriptorum Christianorum Orientalium*, eximio D. no R. Draguet, qui, maxima qua est auctoritate et scientia et comitate, nos hanc opellam elaborantes consiliis direxit, auxilio audiuvit, exemplo incitavit.

Scribebam Lovanii, Kal. Iun. MDCCCCXLIX.

---

* VITA SANCTI PATRIS NOSTRI ABBATIS ANTONII ANACHORETAE, QUAM NARRAVIT NOBIS ABBAS ATHANASIUS ARCHIEPISCOPUS ALEXANDRIAE PER EPISTULAM QUAM SCRIPSIT AD FRATRES IN PEREGRINA REGIONE VERSANTES; REQUIEVIT DIE XXIIa MENSIS TOBE. * p. 1

Bonum certamen[1] instituistis adversus monachos qui sunt in Aegypto, cum eos aequare vel superare virtutis vestrae ascesi constituistis; iam enim fuerunt apud vos monasteria, et nomen monachorum apud vos celebratum est. Tale ergo propositum iustum est omnes laudare et Deum perficere per orationes vestras. Quoniam et me de conversationibus beati Antonii interrogavistis, scire volentes quomodo coeperit ascesi studere, et qualis fuerit ab initio, et finem vitae qualem habuerit, et si verae sint narrationes quae de eo fiant, ut vos ipsi aemulationem eius aggrediamini, praeceptum vestrum magno cum gaudio accepi. Mihi enim ipsi magnum lucrum et utilitas est vel solum Antonii hominis Dei meminisse. Scio fore ut et vos, si audieritis, admiremini virum * illum, et velitis et ipsi formam eius imitari. Vita enim Antonii exemplum idoneum est monachis ad ascesim. Iis igitur quae de eo ab iis audivistis qui vobis narraverunt, nolite diffidere, immo existimate pauca vos ab illis audivisse; omnino enim illi ipsi vix vobis quae potuerunt dicere narraverunt; nam ego ipse a vobis rogatus quae vobis in hac epistula narraturus sum pauca sunt illius; quae memini scribo vobis. Vos autem nolite desinere unumquemque interrogare illorum qui ab eius loco ad vos accedunt, ut, singulis vobis quod noverunt dicentibus, vix fiat narratio. Volebam itaque, accepta epistula vestra, nonnullos e monachis mandare qui illum frequenter adire solent, ut narrationem ampliorem ab illis audirem et vobis pro certo scriberem. Quoniam tempus navigationis ad finem processit, festinabatque is qui has litteras ad vos proferet, propterea quae scio scribo vobis (illum enim frequenter vidi), et quae ab illo audivi qui eum modico tempore secutus est, *aquam fundens super* * p. 2

[1] Cf. I *Tim.*, VI, 12.

manus eius[2], ad pietatem vestram scribere conatus sum, ubique veritatis curam gerens, ne quis ampliora audiens diffidat, neve rursum narrationem plus quam decet deficientem audiens hominem despiciat.

1. * Antonius igitur genere aegyptius erat. Parentes autem eius nobiles; facultates enim multas possidebant, et cum christiani essent, ille ipse christiane ab infantia educatus est; a parentibus nutriebatur; nihil ergo nisi ipsos et domesticos cognoscebat. Cum autem crevisset et profecisset aetate, scripturae discendae studere noluit, a consuetudine puerorum abesse volens, sed omne desiderium habebat, sicut scriptum est, ut *domi remaneret simplex*[1]. Conveniebat cum parentibus ad ecclesiam, neque ut puer dissipatus erat, neque ut aetate proficiens contemnebat, immo parentibus suis subiectus erat et iis quae legebantur adtendebat, utilitatemque quae in iis inest apud se conservabat. Neque rursum ut puer in facultatibus constitutus parentes variorum ciborum causa molestabat, nec delectationes quaerebat quae in iis insunt, sed iis solum quae inveniebat contentus erat, nec quidquam amplius quaerebat.

2. Post mortem parentum solus cum parva sorore sua remansit, et erat decem et octo annos vel viginti natus, curam domus suae et sororis optime gerens. Nondum sex mensibus exactis post mortem parentum, secundum consuetudinem suam exibat, ad ecclesiam procedens et quae leguntur reputans; et animum advertit et cogitavit progrediens quomodo * apostoli omnia reliquerint et *secuti sint Salvatorem*[1]; illi autem qui bona sua *vendiderunt*, ut scriptum est in Actibus, *illa attulerunt et ad pedes apostolorum deposuerunt* ut indigentibus ea distribuerent[2], et qualis quantaque esset *spes* illorum *quae eis reposita est in caelis*[3]. Haec igitur secum reputans in ecclesiam ingressus est, et factum est, cum Evangelium legeretur, ut audiret Dominum dicentem proximo suo[4]: « *Si vis perfectus esse,*

[2] Cf. II *Reg.*, III, 11.
1. [1] *Gen.*, XXV, 27.
2. [1] Cf. MATTH., IV, 20, — [2] *Act.*, IV, 34. — [3] Cf. *Col.*, I, 5, — [4] Copt. **ⲙⲡⲉⲑⲓⲧⲟⲩⲱϥ**; gr. 841 C 6-7 τῷ πλουσίῳ; probabilius copticus auctor τῷ πλησίῳ legit.

vade, vende omnia quae habes, et da pauperibus, et veni sequere me, et tibi repone thesaurum in caelis »[5]. Antonius vero, quasi a Deo memoriam sanctorum accepisset, lectionem quasi propter se esse lectam existimavit; exivit continuo ex ecclesia, et possessiones quas habebat a parentibus (erant autem trecentae arurae admodum fertiles) vicanis suis dono dedit, ne se sororemque ulla in re molestarent. Reliqua bona omnia quae habebat vendidit et congregavit pecuniam multam, quam pauperibus dedit; pauca tamen reservavit propter sororem.

3. Et rursus in ecclesiam ingressus iterum in Evangelio Dominum audivit dicentem: « *Nolite solliciti esse in crastinum* »[1], nec sustinuit, exivit * continuo et reliqua illa pauperibus dedit; sororem vero fidelibus mulieribus commendavit quas virgines esse noverat, ut et ipsa in virginitate versaretur. Ipse autem domo exivit et deinceps ascesi operam dedit, *adtendens sibi ipsi*[2] et se fortiter educans. Nondum erant enim omnino in Aegypto monasteria multa, neque monachi desertum longinquum noverant, sed quicumque sibi adtendere volebat paululum a vico suo exibat, solusque in ascesi versabatur. Erat autem in vico illo senex quidam seipsum a iuventute exercitans in monastica vita; quem cum vidisset Antonius, in bono imitatus est, et primum coepit et ipse in loco isto extra vicum remanere. Atque si quem studiosum audierat in operibus bonis degentem, exibat et illum quaerebat ut prudens apis neque ad sedem suam revertebatur nisi hominem illum vidisset, et quasi viatico quodam ad iter virtutis ab illo accepto. Primum quidem ibi degens consilium cepit deinceps ad bona parentum non reverti, neque cognatorum meminisse, sed totum desiderium et totam sollicitudinem cum fortitudine acquisivit circa ascesim. Laborabat autem manibus suis quia quod scriptum est audiverat *: « *Otiosus non manducet* »[3]. Et opus manuum suarum optime expendebat; partem ad panem, partem pauperibus largiebatur. Orabat vero multum quippe qui didicisset oportere *sine intermissione orare*[4]. Etenim (tam) accurate iis quae in

[5] MATTH., XIX, 21.
3. [1] MATTH., VI, 34. — [2] Cf. *Deut.*, V, 9, — [3] II *Thess.*, III, 10, — [4] MATTH., VI, 6.

ecclesia leguntur adtendebat ut nihil e scriptis sibi excideret, sed *omnia* in se ipso *conservabat*[5], ita ut illorum memoria ipsi pro libris in corde esset.

4. Tali modo Antonius seipsum educabat et diligebatur ab omnibus; ipse vero sapienter studiosis quos adibat se subiaciebat atque uniuscuiusque rem in ascesi et aedificatione bona et studio apud se considerabat, hunc quidem qui gratiosus erat, alium quem in ascesi potentem videbat, alium in oratione potentem, alium vero qui irascibilis non erat, alium in humanitate, alium noctu vigilantem et alium optime legentem, alium quoque mirabatur in patientia, alium in ieiuniis et humi cubatione, alterius considerabat mansuetudinem et alterius patientiam observabat; ut breviter dicam, illorum omnium pietatem erga Christum et amorem mutuum observabat; haec omnia apud se considerabat. Et sic his omnibus repletus ad sedem suam revertebatur * ubi se exercitabat Deo, et ipse in animo omnia quaecumque in singulis viderat congregavit et haec omnia in seipso ostendere curavit. Etenim coaetaneis minime contentiosus erat, nisi solum ne inferior eis in operibus bonis esset sed ut ipse in optimis manifestaretur; et hoc ita agebat ut illos non tristaret, immo potius de seipso valde laetificaret. Omnes itaque qui in vico erant et laboriosi quorum consuetudine fruebatur eum Deum amantem nuncupabant, quippe qui formam eius videbant; alii quidem eum ut filium salutabant, alii autem ut fratrem.

5. Invidiosus vero et qui bonum odit diabolus tolerare non potuit in hoc iuvene talem videns fervorem, sed quae meditabatur facere audebat et ipse adversus eum facere. Primo quidem temptavit eum ex ascesi deducere, ei memoriam facultatum immittens, curam sororis, memoriam cognatorum, pecuniae cupiditatem, iactantiam, voluptatem, cibos varios et alia blandimenta vitae; et postremo cordi eius subiecit virtutis duritatem, et magnum esse dolorem eius, et multos labores; atque ei suggerebat corporis debilitatem et temporis longitudinem, excitavitque super eum magnum cogitationum in animo pulverem, * eum a recta cogitatione separare volens. Cum

[5] Cf. Luc., II, 51.

vidit inimicus seipsum infirmum adversus voluntatem Antonii, et potius fortitudine illius devictum et orationibus deiectum quas Antonius semper faciebat, tunc se his armis armavit quae super umbilicum ei insunt[1], quibus se armat et gloriatur (haec enim potissimum priora sunt eius tela quae iunioribus inicere solet); processit autem adversus Antonium, nocte eum turbans, et ita molestans ut inter utrumque pugnam animadverteret[2]. Inimicus quidem ei cogitationes suggerebat impuras, Antonius vero orationibus eas repellebat; ille quidem desiderium voluptatis ei immittebat, hic vero erubescebat et corpus suum fide et ieiunio circumvallabat; et diabolus quidem formam mulieris nocte assumebat et omnes formas figuris assumebat ut Antonium deciperet, at ille Christum cogitans et intellectum spiritalem animae suae, illius carbones extinguebat. ~~Iterum~~ inimicus desiderium voluptatis ei suggerebat, Antonius vero iracundo et laboranti similis erat, minas *ignis et vermis*[3] reputans et ante oculos habens. Haec omnia pudori inimico fuerunt; nam qui putabat Deum aggredi posse, * ab Antonio irridebatur : Dominus enim illum adiuvabat, qui carnem propter nos gestavit et electis suis victoriam dedit adversus diabolum ut unusquisque certantium dicat : « *Non ego, sed gratia Dei mecum* »[4].

6. Postremo autem, cum non potuisset draco Antonium prosternere, sibi ipsi iratus est, dentibus in eum stridens, et insanienti similis in visione apparuit ei sub specie pueri nigri; ut insanus factus est et vocem humanam assumpsit, dicens Antonio : « Multos tui similes decepi, et plurimos prostravi; nunc vero in te vim intuli, ut in alios etiam vim intuli ». Antonius autem eum interrogavit : « Quis es tu, qui haec mecum loqueris? » Continuo ille infirma voce clamavit : « Ego fornicationis sum amicus; ego insidiis eius et eius desideriis utens iuniores aggredior, et spiritus fornicationis appellor. Quot sapientes ~~esse~~ volentes decepi ! Quot sustinuerunt, (et) eos decepi prava desideria eis suggerens ! Ego sum quem propheta condemnat, * de lapsis dicens : '*Spiritu*

5. [1] Cf. *Iob*, XL, 11. — [2] Supple *qui videret*. — [3] Cf. *Eccli.*, VII, 17; Marc., IX, 48. — [4] Cf. I *Cor.*, XV, 10.

fornicationis erraverunt '[1]. Per me enim illi erraverunt et ceciderunt; ego sum qui te saepe molestavi, tu autem fortior me adhuc fuisti ». Antonius autem Domino gratias egit, et adversum illum confidentiam assumpsit, dixitque illi : « Admodum contemnibilis es ; etenim niger es mente, et ut puer infirmus; nunc nulla sollicitudo mihi est posthac de te; *Dominus mihi adiutor et ego respiciam inimicos meos* [2] ». Haec cum audivisset inimicus, statim confugit ea pertimescens, et omnino ad Antonium accedere timuit.

7. Hoc primum fuit certamen Antonii cum diabolo, immo potius Salvatoris in Antonio victoria fuit : ille enim *damnavit peccatum in carne* quam ex Virgine Maria assumpsit, *ut iustificatio legis* manifestaretur *in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum* [1]. Antonius vero, quasi prostrato diabolo, non neglexit aut contempsit, neque inimicus quasi victus insidias facere desivit, sed *circuibat ut leo, quaerens* [2] adversus Antonium causam aliquam. At ille, quippe qui e Scriptura didicisset multas esse inimici insidias, ascesi maxime operam dabat, secum reputans, etsi non potuisset inimicus corporis voluptate decipere, omnino temptare non cessaturum, sed aliis rationibus obsessurum; peccatum * enim amat diabolus valde adversus sanctos. Corpus suum macerabat Antonius et *in servitutem redigebat* [3], ne forte in aliis victor, in aliis ab illo detraheretur et deciperetur. Constituit autem seipsum laboriosis et valde asperis asceticis consuetudinibus educare. Et multi quidem eum admirabantur; ille autem dolorem et laborem quiete tolerabat; diu in eo manens animi alacritas in eo habitum bonum perfecit, ita ut in iis quae ab aliis vel ad minimam rationem acceperat, magnum exhiberet studium. Saepe insomnis vigilabat idque non semel aut bis, sed saepissime agebat, et omnes illum valde admirabantur. Nonnisi semel in die manducabat, post solis occasum; nonnunquam etiam post biduum vel quatriduum edebat. Cibus autem quem sumebat panis et sal et aqua; nam de carne et vino

6. [1] Os., IV, 12. — [2] *Ps.* CXVII, 7.
7. [1] Cf. *Rom.*, VIII, 3-4, — [2] Cf. I PETR., V, 8, — [3] Cf. I *Cor.*, IX, 27.

superfluum est dicere, cum apud studiosos nihil tale reperiatur. Sufficiebat ei storea ad dormiendum, saepeque in terra sola cubabat. Observabat vero ne oleo inungeretur, dicens praestare iuvenes ascesim cum alacritate acquirere, nec ea quaerere quibus corpus emollitur, sed * potius molestiis assuefacere, dictum Apostoli reputantes : « *Cum infirmor, tunc potens sum* » [4]. Aiebat enim tum animi valere intellectum, cum corporis infirmarentur voluptates. Et vere hanc aliam eius cogitationem mirabantur : nolebat enim viam cogitationum virtutis, neque propter eam secessum, tempore metiri, sed amore et proposito. Ipse vero transactum tempus non computabat, sed cotidie quasi ascesis initium faciens magnum profectum sibi comparabat, Apostoli dictum semper meditans : « *Quae retro sunt obliviscentes, ad ea vero quae sunt priora extendentes nosmetipsos* » [5]. Vocem quoque Eliae Thesbitae meminerat dicentis: « *Vivit Dominus, ante cuius conspectum hodie sto* » [6], et observabat illum, cum dicit « hodie », praeteritum tempus non metiri, sed quasi omnem horam deponentem [7] cotidie curare ut se talem Deo praebeat et exhibeat qualem deceat Deo apparere, purum scilicet corde et paratum illius solius voluntati oboedire, et nulli alii. Dicebat autem apud semetipsum oportere ascetas vitam suam quasi in speculo ex magni Eliae conversatione semper ediscere.

8. Sic ergo armatus Antonius ad sepulcra longe a vico sita se contulit, ibique remansit, cuidam praecepto dato ut panem sibi multorum dierum intervallo afferret; * ipse vero unum e sepulcris ingressus est et solus remansit monachus, clausa ianua. In hoc rursus ferre illum non potuit inimicus, immo metuens ne ille paulatim desertum ipsum repleret ascetis, exivit nocte cum multitudine daemonum et tot ei plagas inflixit ut humi iacens remaneret, prae plagarum tormento loqui non potens; asseruit enim plagarum dolorem ita gravem fuisse, ut diceres plagas esse ab hominibus validis tormenta(que) infligentes. Dei autem providentia (non enim obliviscitur Dominus sperantium in se), alia die attulit familia-

[4] II *Cor.*, XII, 10. — [5] *Philipp.*, III, 13. — [6] I *Reg.*, XVIII, 15. — [7] Forsitan copticus perperam intellexit ἀρχὴν καταβαλλόμενος (853 B 10).

ris ille aliquot panes, et aperta ianua eum humi iacentem ut mortuum vidit, statimque sustulit, in ecclesiam vici detulit et ibi deposuit. Multi ergo e cognatis et vici incolae Antonium quasi mortuum circumsedebant; media autem nocte ad se reversus Antonius atque expergefactus, cum omnes illos vidisset circum se dormientes, et illum familiarem solum vigilantem, annuit sibi appropinquare rogavitque ut se tolleret et iterum ad sepulcra deportaret, nemine suscitato.

9. Delatus itaque, clausa ianua intus solus remansit. Prae plagis daemonum stare non poterat; * iacebat vero humi orans, et post orationem exclamavit : « Ecce hic sum ego Antonius; vestras plagas non fugio : etenim etiamsi plures mihi inflixeritis, *nihil me separare* poterit *a caritate Christi* Iesu Domini mei [1]; scriptum est enim in Psalmis : *Si bellum adversus me consistat, non timebit cor meum* » [2]. Haec asceta putabat et dicebat; at inimicus qui omne bonum odit, miratus illum his omnibus plagis acceptis illuc redire ausum, canes suos congregavit, et furore crepituris similis eis dixit : « Videtis nos neque spiritu fornicationis neque plagis illum potuisse compescere; immo audaciam adversus nos sumebat. Quare ad eum aliis modis accedamus ». Diaboli autem modi opera sunt malitiae. Nocte ergo illa dolum talem adhibuit ut totus videretur locus ille commoveri, et per quattuor muros quasi ruptos daemones intraverunt, phantasia ferarum et serpentium formas assumentes, statimque locus ille repletus est phantasiis ut leonum, ursorum, leopardorum, taurorum, serpentium, colubrorum et luporum; atque singuli in eum magna cum voce secundum formam suam inruebant : leones rugiebant, in eum insilire volentes; taurus eum transfigere visus est; serpens repebat nec eum adtingebat, atque lupus insiliebat : * hi omnes simul apparuerunt, et eorum vocis strepitus valde terribilis erat. Antonius vero, ab illis flagellatus, gravissimum in corpore sensit dolorem; animo vero maxime vigilabat, atque invictus et intrepidus iacens remansit, gemens quidem propter corporis dolorem, animo vero vigilans et quasi eos irridens, iisque dixit : « Si potestatem aliquam

9. [1] Cf. *Rom.*, VIII, 35. — [2] *Ps.* XXVI, 3.

adversum me haberetis, unus sufficeret contra me. Sed quia Dominus potestatem vestram dissolvit, ideo cum multitudine me terrere temptatis : at infirmitas vestra in eo manifestatur quod bruta imitamini. » Confidebat rursus dicens : « Si potestatem habetis, et potentiam adversum me accepistis, nolite cunctari, sed cito invadite; sin autem non potestis, cur frustra me turbatis? Sigillum enim et sanctitas et *murus firmus* [3] nobis est fides in Dominum nostrum Iesum Christum. » Illi autem multa temptarunt adversus eum facere, et *dentibus in eum stridebant* [4].

10. Sublatis oculis, tectum vidit quasi in eo ut aperiretur, et sicut radium lucis ad se descendentem conspexit; atque subito daemones apparere desiverunt et statim corporis dolor cessavit; locus autem ubi erat restitutus est. * Antonius vero se a Domino liberari animadvertit, et postquam respirasset sensit se a dolore relevari, rogavitque illum qui apparebat dicens : « Ubi es? Cur non ab initio mihi apparuisti, ut me sanares? » Et vox ad eum facta est dicens : « Hic eram, sed expectavi certamen tuum videre; quoniam ergo sustinuisti, nec superatus es ab illis, ero tibi semper adiutor et te illustrem ubique faciam. » Quae cum audisset, surrexit atque oravit; et magis confortatus est ita ut fortitudinem sentiret quae in corpus suum illata esset. Erat autem tum prope triginta quinque annos natus.

11. Postero die exivit laetans et Deo serviens, accessit ad senem illum priorem monachum, eumque rogavit ut cum eo iret et una Deo in deserto servirent. Ille autem abnuit propter aetatem, et dicens talem sibi nunquam fuisse consuetudinem. Ipse vero statim ad montem contendit. At inimicus studium eius videns, et eum in via impedire volens, in via magnum argenteum discum phantasia proiecit. <Antonius vero> artes illius intellegens qui bonum odit, constitit atque discum intuitus cognovit rem in illo diaboli esse, et dixit : « Unde hic discus in desertum venit? * Via trita haec non est; nullum est vestigium cuiusquam in ea ambulantis. Cadens autem latere non poterat, cum magnus sit; et qui amisisset regressus esset

[3] Cf. *Prov.*, XVIII, 11. — [4] *Act.*, VII, 54.

et illum requirens invenisset, quoniam hic locus desertus est. Haec ars diaboli facta est. Non poteris me in hoc impedire, diabole, sed hoc *tibi erit in perditionem* [1]. » Haec Antonio dicente, evanuit ille, ut fumus.

12. Postea rursum, in via ambulans, aurum vidit, non in specie, sed in veritate, sive inimico hoc illi ostendente, sive aliqua superiore virtute athletam exercente et diabolo significante illum divitias non curare : neque ipse dixit, nec nos comperimus; ceterum vere aurum fuit quod vidit. Antonius autem copiam auri admiratus pertransivit fugitque, alicui ignem fugienti similis, ita ut nequaquam illi appropinquaret. Magis vero magisque ad montem contendit, et castrum desertum propterque tempus serpentibus plenum in ripa fluminis cum vidisset, ibi habitavit; serpentes autem illi quasi pulsi * fugerunt et recesserunt. Ille vero ianuam clausit et panes qui ad sex menses sufficerent sibi reposuit (hoc enim faciunt ipsi Aegyptii, et totum annum panem habentes incorruptum manere solent), ille ergo seipsum inclusit, et aquam ibi habens, intra locum illum solus remansit, neque ipse egrediens, neque illos qui ad se veniebant videns. Atque diuturno tempore se ita exercitavit, bis quotannis panes suos per tectum accipiens.

* p. 18

13. Illi autem e familiaribus qui ad eum accedebant, cum eos ingredi non sineret, saepe extra manebant, dies noctesque prope ianuam transigentes, et audiebant quasi turbas intus tumultuari, clamitare, voces emittere debiles, clamantes : « Recede ab iis quae nostra sunt; quid est tibi desertum hoc, ut hic habites? Insidias nostras ferre non poteris. » Ii autem qui foris erant primo putabant homines esse intus qui ad eum per scalas accessissent; introspexerunt itaque per foramen, neminemque viderunt; tunc vere intellexerunt daemones esse illos. Antonius vero illos audiebat, neque hos curabat; et prope ianuam accedens, homines hortatus est ut recederent nec * timerent, dicens : « Sic solent daemones has formas et phantasias exhibere adversum timidos; vos autem signate vos et confidentes recedite, et hos sinite sibi ipsis illudere ». Illi quidem recesserunt, signo crucis circumvallati; ille vero solus remane-

* p. 19

11. [1] Cf. *Act.*, VIII, 20.

bat, nec daemones eum ulla in re laedere potuerunt; et valde decertabat, nam visiones quae cotidie in eius intellectu fieri non deficiebant, et infirmitas inimici qui ei adversabatur, magnum in laboribus levamentum ei praestabant, maioremque alacritatem in eo efficiebant. Etenim familiares, illuc saepe accedentes et se illum mortuum inventuros putantes, psallentem audiebant : « *Exsurgat Deus et dissipentur inimici eius; fugiant qui oderunt eum a facie eius; deficiant sicut deficit fumus; sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei* » [1]; et : « *Omnes gentes circuierunt me, et in nomine Domini reppuli eas* » [2].

14. Viginti autem prope annos perfecit ita se solus exercitans, neque ipse egressus, nec saepe ab aliquo visus. Postea vero, multi patientes et eum imitari volentes vi ianuam deiecerunt. Tum egressus * est Antonius, Deum in se ferens. Primum exivit e castro et apparuit eis qui ad eum venerant. Atque, ut corpus eius viderunt, mirati sunt illud nec pingue factum esse quia non exerceretur, neque infirmum utpote de ieiuniis et daemonum certaminibus exiens; sed in habitu suo erat, qualem ante secessum cognoverant. Intellectum quoque animi viderunt purum; nam nec dolore maerebat, nec voluptatibus turbabatur, nec risu vel tristitia tenebatur, neque turbam videns turbatus est, nec gavisus est ab eis salutatus; sed totus aequalis erat quasi ratione rectus. Multos vero qui ibi aderant aegrotantes Dominus per Antonium sanavit; atque gratiam in sermonibus Dominus ei tribuit, et multos maerentes consolabatur, alios concertantes reconciliavit et in amicitiam redegit; hoc autem omnibus praecipiebat ne quid mundanarum rerum caritati Christi Iesu praeponerent, omnesque docebat de futuris bonis et de Dei erga nos philanthropia, nam *proprio filio non pepercit sed pro nobis omnibus tradidit illum* [1]. Multis quoque persuasit ut * monasticam vitam eligere vellent, atque ita facta sunt monasteria quae sunt in montibus, et desertum repletum est monachis, et ibi habitaverunt, e domiciliis suis egressi et in *caelorum* civitatem *conscripti* [2].

* p. 20
* p. 21

13. [1] Ps. LXVII, 2-3. — [2] *Ps.* CXVII, 10.
14. [1] Cf. *Rom.*, VIII, 32. — [2] Cf. *Hebr.*, XII, 23.



15. Postea autem necesse fuit ut iret et fratres visitaret in Piom[1] constitutos; in fluvium exivit, et plenus erat crocodilis fluvius iste. Ille autem precatus est et cum sociis pertransivit, nec quidquam passi sunt. Reversus vero ad monasterium puros et omni fortitudine plenos labores apprehendit; frequenter cum iis qui monachi facti erant colloquens, eorum alacritatem maxime auxit; plurimos autem fratrum ad ascesis amorem impulit; et ratio turbas ad eum trahebat, ita ut multa fierent monasteria, et ipse his omnibus praeesset ut pater bonus.

16. Factum est autem aliquando quod exiret et monachi omnes ad eum accederent, sermonem ab illo audire rogantes, et illis haec verba locutus est aegyptiaca lingua : « Sufficiunt quidem Scripturae ad nos docendos; nobis autem bonum est ut alterutrum cohortemur in fide et verbis exerceamus. Vos itaque nunc ipsi, patrem vestrum imitamini et quod nostis dicite; ego ipse, utpote maior natu, quae novi et expertus sum vobis dicam. Sit quoque * omnibus commune hoc unum studium, ut, quasi inciperetis, non retro revertamini, nec dicatis : « Diu in ascesi remansimus »; immo potius, quasi rem inciperemus, augeatur alacritas vestra[1]. Vita enim hominis brevis est si ad futurum computetur saeculum. Quaevis res autem in mundo eo pretio venditur quo digna est, et res similibus aequalis aequali commutatur; promissio vero vitae aeternae parvo emitur; scriptum est enim : « *Dies vitae nostrae septuaginta anni, et amplius eorum labor et dolor* »[2]. Si igitur hos octoginta annos vel etiam centum in ascesi remanserimus, non his centum annis pari tempore regnabimus, sed pro centum in saecula saeculorum regnabimus[3]. Et in terra decertantes, non in terra hereditabimus, sed in caelis habemus promissiones nostras[4]; atque corpus hoc corruptibile deponentes, certe incorruptibile rursus accipiemus.

* p. 22

17. « Quare, filii, *ne deficiamus*[1], neque omnino putemus diutius moratos esse vel quidquam magni facere; *non sunt condignae passiones temporis ad gloriam quae revelabitur nobis*[2]. Neque, res mundi intuentes, existimemus nos magnis rebus renuntiasse. Etenim * tota terra parva est si cum caelis comparetur; si igitur totius terrae domini essemus, eique renuntiaremus, rursus non dignum hoc esset regni caelorum gloria. Velut enim si quis drachmam unam aheneam despiceret ut centum drachmas aureas lucraretur, sic qui totius terrae dominus esset et ei renuntiaret, modicum relinqueret et centuplum reciperet. Quod si tota terra caelis non condigna est, certe qui paucos agros reliquerit ita ut nihil conservet, etiamsi domum vel aurum multum habeat et relinquat, non gloriari debet nec omnino maerere. Hoc autem cogitandum est nobis, si illa propter virtutem non reliquerimus, at nos postea cum moriemur relicturos esse; forsan etiam saepe quibus nolumus ea tradimus ut haec commemoravit Ecclesiastes[3]. Cur ergo ea propter virtutem non relinquemus ut regnum hereditemus? Quare ne quis nostrum facultates adipisci desideret; quid est in eis lucri? Si ea acquirimus, nobiscum auferre non poterimus. Sed cur non potius illa relinquemus et meliora eis accipiemus, prudentiam scilicet, modestiam, iustitiam, fortitudinem, cogitationem bonam, caritatem firmam, pauperum amorem, fidem in Christum, mansuetudinem, hospitalitatem? Quae si acquirimus, ante nos ea reperiemus * domicilium nobis praeparantia in terra mansuetorum[4].

* p. 23

* p. 24

18. « Ex his itaque unusquisque sibi persuadeat non pusillanimum esse, praesertim autem si seipsum servum Domini esse existimet, et debere domino suo bene servire. Quemadmodum igitur servus domino dicere non poterit : « Heri laboravi, hodie nihil faciam », neque praeteritum tempus computabit, aliis sequentibus diebus cessans, sed, ut in Evangelio scriptum est[1], cotidie hanc alacritatem ostendet ut domino placeat et non periclitetur : ita et nos cotidie maneamus in ascesi perseverantes, scientes, si una die neglexerimus, Illum nobis propter praeteritum tempus veniam non daturum, sed

15. 1 Id est *Arsinoe*.
16. 1 Corr. *nostra*. — 2 *Ps.* LXXXIX, 10. — 3 Cf. *Hebr.*, IX, 15, — 4 Cf. I *Cor.*, XV, 53.
17. 1 Cf. *Gal.*, VI, 9.
2 Cf. *Rom.*, VIII, 18. — 3 *Eccl.*, IV, 8. II, 18-19. — 4 Cf. *Ps.* XXXVI, 11; MATTH., V, 4.
18. 1 LUC., XII, 47.

propter neglegentiam nobis suscensurum. Sic enim in Ezechiele propheta [2] audivimus; sic etiam de Iuda, quia in nocte una totum laborem totius transacti temporis perdidit.

19. « Quare, dilecti, ascesim teneamus, neque omnino *deficiamus* [1]; habemus enim Dominum in hoc nos adiuvantem, ut scriptum est : « *Quicumque bonum facere vult, ei Deus cooperatur in bonum* » [2]. Ne autem pusillanimi simus, bonum est nos Apostoli dictum meditari dicentis : « *Cotidie morior* » [3]. Si * et nos quasi cotidie morientes vitam ducimus, non peccabimus. Hoc autem dico, ut cotidie surgentes apud nos dicamus : « Hodie ad vesperam usque viventes non remanebimus », et rursus decumbentes dicamus : « Non iam surgemus », cum etiam incerta sit vita nostra, cotidie a Providentia computata. Si igitur ita nos habemus et ita vivimus, certe non peccabimus nec quidquam desiderabimus, neque *in terra* nobis *thesaurizabimus* [4], sed utpote cotidie mortem expectantes, nihil nobis acquirentes remanebimus et omnia relinquentes; mulieris autem concupiscentiam vel impuram voluptatem omnino non tenebimus neque iis adhaerebimus, sed eas ut transituras aversabimur, cotidie decertantes et diem iudicii prospicientes. Semper enim magnus timor <et> tormentorum periculum voluptatum pulchritudinem dissolvit et animam non declinantem erigit.

20. « Itaque incipientes et in via virtutis stantes, *ad ea quae sunt priora* nos magis *extendamus* [1] ut ad *mensuram bonam* [2] perveniamus; et nemo retrorsum convertatur ut uxor Lot [3], nam Dominus * dixit : « *Nemo mittens manum suam ad aratrum et retro conversus aptus est regno Dei* » [4]. Retrorsum autem converti nihil aliud est quam ut hominem poeniteat et de mundanis rebus cogitet. Ne timeatis de virtute audientes neve nomen miremini : non enim procul a nobis est, neque extra nos consistit, sed intra nos res est. Graeci quidem emigrare

* p. 25 — * p. 26

2 EZECH., XVIII, 24-26.

19. 1 Cf. *Gal.*, VI, 9. — 2 *Rom.*, VIII, 28. — 3 I *Cor.*, XV, 31. — 4 Cf. MATTH., VI, 19.

20. 1 *Philipp.*, III, 14. — 2 LUC., VI, 38. — 3 Cf. *Gen.*, XIX, 26. — 4 LUC., IX, 62.

solent et mare pertransire ut scribere discant; nobis vero non necesse est ut emigremus propter regnum caelorum, nec ut mare pertranseamus propter virtutem; dixit enim Dominus : « *Regnum caelorum intra vos est* » [5]. Virtus itaque opus tantum habet ut velimus, quoniam intra nos est. Cum enim anima naturae suae intellectum habet, virtus in ea consistit; naturam suam autem habet cum qualis creata sit maneat; facta est vero bona et recta [6]. Quapropter Iesus Nave populo praecepit dicens : « *Dirigite cor vestrum ad Dominum Deum Israel* » [7], et Iohannes etiam : « *Rectas facite semitas vestras* » [8]. Cum enim anima * recta est, hic intellectus est naturae eius, ut creata est; iterum si declinat et a naturali statu mutatur, tum animae malitiam esse dicitur. Res ergo non laboriosa est : si quales creati sumus remanemus, certe in virtute sumus; sin autem malum cogitamus, quasi mali iudicabimur. Et si extrinsecus nobis acquirenda res esset, difficilis sane esset; quod si intra nos est, ab impuris cogitationibus nos custodiamus, et tamquam deposito recepto, Domino nostro animam nostram servemus, ut ipse opus suum, id est animam, agnoscat talem constitutam qualem eam fecit.

21. « Sit nobis hoc certamen, ne in nos dominetur ira, nec nos teneat concupiscentia; scriptum est enim : « *Ira viri iustitiam Dei non operatur; concupiscentia autem cum conceperit parit peccatum; peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem* » [1]. Hanc habentes conversationem, firmiter vigilemus, sicut scriptum est : « *Omni custodia cor tuum* purum *serva* » [2]. Habemus enim inimicos, daemones scilicet, et adversus illos nobis est certamen, ut ait Apostolus : « *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem, sed adversus principes et potestates et mundi rectores tenebrarum et spiritualia nequitiae quae sub caelis sunt* » [3]. Magna quidem est * turba quae in aere est, nec procul a nobis sunt; magna autem diversitas et differentia est in eis. Atque de eorum natura et diversitate, maximus proferri posset sermo : hic autem sermo quem dico [4]

* p. 27 — * p. 28

5 LUC., XVII, 21. — 6 Cf. *Eccl.*, VII, 30. — 7 *Ios.*, XXIV, 23. — 8 MATTH., III, 3.

21. 1 IACOB., I, 20 et 15. — 2 *Prov.*, IV, 23. — 3 *Ephes.*, VI, 12. — 4 Corr. *Hunc autem sermonem dicere.*

aliorum est nobis praestantiorum. Quod vero nobis nunc opus est, necesse solum est ut dolos sciamus quos contra nos adhibent.

22. « Primum enim hoc scimus daemones non quia tales creati fuerint daemones appellari; minime, absit; nunquam enim Deus quidquam <mali> creavit, sed etiam illos ipsos bonos creavit; lapsi vero e cogitatione caelorum, tum demum in terra volutantes facti sunt; Graecos quidem phantasiis deceperunt; nobis autem christianis invident et omnia in viam movent ne in caelos ascendamus, ne illuc unde ceciderunt ipsi nos intremus. Propterea magnis ascesibus et magnis orationibus nobis opus est, ut quisque, progressum et charisma et discretionem spirituum accipiens, quae ad illos pertinent scire possit, quinam scilicet eorum minus mali sint, et quinam peiores illis sint, et cuinam rei singuli eorum studeant, et quo quisque modo superetur et eiciatur. * [p. 29] Permulti enim sunt eorum doli. Beatus itaque Apostolus et qui similes sunt illi haec sciebant, dicentes : « *Non ignoramus cogitationes eius* » [1]. Nos vero ipsi, ex iis quae ab illis experti sumus, alii alios erigere debemus. Ego autem quae ex parte expertus sum, vobis ipsis ut filiis dico.

23. « Illi quidem, si quemlibet viderint laborantem et proficientem, maximeque monachos, primum adversus eos audent, eos temptantes ut *offendicula contra eos in viis ponant* [1] : offendicula autem eorum sunt impurae cogitationes. Non igitur oportet nos timere quae nobis iniciunt : nam illi statim oratione et ieiunio et fide in Dominum labuntur. At lapsi non recedunt, sed subdole et astute accedunt. Si enim palam animam per voluptatem et immunditiam decipere nequeunt, aliter iterum in eam surgunt, et phantasias fingunt ut timorem incutiant, formam suam mutantes imitantesque feminas, feras, serpentes, corpora magna et turbas militum. Sed non sunt omnino pertimescendae eorum phantasiae; nihil enim sunt et cito evanescunt, maxime autem si quis seipsum muro * [p. 30] circumvallet per fidem et signum crucis. Audaces valde sunt et impudentes;

22. 1 II *Cor.*, II, 11.
23. 1 Cf. *Ps.* CXXXIX, 6.

si enim hoc modo superentur, alio iterum incipiunt. Quae post dies futura sunt dicere simulant [2]; apparent excelsi quasi tectum adtingentes et lati in magnitudine : ut quos cogitationibus decipere non potuerunt, videant si eos talibus phantasiis subripere non possint. Si autem iterum animam fide et cordis spe firmatam inveniant, de cetero principem suum secum adducunt.

24. Aiebatque tales saepe apparere, qualem Deus diabolum Iob revelavit dicens : « *Oculi eius ut species luciferi; ex ore eius procedunt lampades ardentes, et foci ignis ex ore eius procedunt; fumus camini carbonibus ardentis ignes sunt animae eius; flamma ignis de ore eius egreditur* » [1]. Talis igitur apparens daemonum princeps timorem incutit, ut iam dixi, et perterret malignus ille magna loquens, ut Dominus eum Iob revelavit dicens : « *Arbitratus est ferrum quasi paleam, aes quasi lignum tritum* [2], *mare quasi speculum et profunditatem abyssi quasi captivitatem; abyssum quasi ambulatorium habuit* » [3]. * [p. 31] « *Dixit quoque inimicus : Persequar et eos comprehendam* [4] *et universam terram comprehendam manu mea quasi nidum et quasi derelicta ova* » [5]. Haec enim tam audacter et superbe dicens, minatur si forte quemdam piorum deicere possit. Sed etiam talibus formis phantasias eorum timere non debemus : mentiuntur enim nihilque veri dicunt. Itaque haec superbe proferens, a Salvatore *hamo tractus est ut serpens; circa nares suas capistrum* ut fugitivus accepit; *annulo perforatus est, vinctus* a Domino tamquam passer [6], ut illudatur ab illo [7]. Positi sunt ille et qui cum eo daemones ut *serpentes et scorpiones ut conculcentur a nobis* [8]. Nos autem christiani debemus adversus eum conversari; nam qui se mare exsiccaturum et orbem terrarum eversurum dicit, ecce nunc nos prohibere non potest Domino conversari, nec me impedire haec verba adversus eum loqui. Ne attendamus iis quae dicit, neve * [p. 32] phantasias eius falsas pertimescamus. Non verum enim lumen in

2 ϣⲁⲩⲇⲓⲁⲕⲣⲓⲛⲉ cod.; corr. ϣⲁⲩϩⲩⲡⲟⲕⲣⲓⲛⲉ.
24. 1 *Iob*, XLI, 10-13. — 2 *Iob*, XLI, 19. — 3 *Iob*, XLI, 23-24. — 4 *Exod.*, XV, 9. — 5 Is., X, 14. — 6 Cf. *Iob*, XL, 25-26 et 29, — 7 Corr. *a nobis*. — 8 Cf. Luc., X, 19,

illis lucet, sed imaginem et signa *ignis sibi parati* ferunt [9] in quo exurendi sunt, homines iis temptantes et perterrentes. Itaque, si appareant, statim evanescunt, neque potestatem habent ulli fidelium nocendi, et secum imaginem ignis ferunt in quem proiciendi sunt. Propterea non sunt timendi; omnia 5 enim quae faciunt nulla sunt.

25. « Et ad transfigurationem parati sunt. Saepe triste psallere simulant et e Scripturis verba memorant; fit etiam ut, nobis legentibus, ipsi ea quae legimus proferant; interdum etiam nos dormientes excitant ut oremus : hoc autem saepe 10 faciunt, paene non sinentes nos omnino dormire. Interdum etiam monachos imitantur, quasi pii viri subdole loquentes, ut nos tali habitu seducant, et postea quo voluerint trahant. Sed iis adtendere non oportet, etiam si vos ad orationem excitent; non enim propter Dei timorem hoc agunt quasi vestri curam 15 gerentes, sed ut simplices ad diffidentiam deducant, ut vitam * p. 33 suam obliviscantur * et ascesim suam sibi profuturam existiment [1]; efficiunt enim ut homines vitam monasticam cognoscant ut in ea tamquam gravissima deficiant; et adversus se conversantes impedire solent. 20

26. « Prophetae itaque a Domino missi tales miseros praedicaverunt, dicentes : « *Vae illi qui potum dat proximo suo subversionem* et malam doctrinam » [1]. Tales autem res et istae cogitationes viam subvertunt quae ad virtutem ducit; Dominus vero os daemonum obturavit et eos prohibuit dicere quamquam 25 verum etiam dicerent; verum enim dixerunt : « *Tu es filius Dei* » [2]; sed eos increpuit ne malitiam suam seminarent veritatique miscerent, atque etiam nos docet [3] ne talibus unquam adtendamus, etsi verum proferre simulent; nos enim Scripturas habemus et libertatem a Salvatore, ne a diabolo doceamur, 30 qui in ordine suo non remansit, sed de malis rebus cogitavit. Illum e Scriptura verba proferentem Dominus prohibuit dicens : « *Peccatori dixit Deus : Quare tu enarras iustitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum?* » [4]. Omnia

[9] Cf. MATTH., XXV, 41.

25. [1] Corr. *nullo modo sibi profuturam.*

26. [1] HABAC., II, 15. — [2] LUC., IV, 41. — [3] Corr. *et etiam ut nos doceret.* — [4] *Ps.* XLIX, 16.

autem agunt et loquuntur, turbant et simulant, et quodcumque volunt faciunt ut simplices decipiant; strepitus autem vehementes etiam edunt, * insipienter rident et sibilant; si vero * p. 34 nemo iis adtendat, flent atque lamentantur quasi victi.

5 **27.** « Dominus quidem os daemonum obturabat; nos autem a sanctis edocti debemus et ipsi agere ut illi egerunt; etenim etiam illi, haec videntes dixerunt : « *Cum consisteret peccator adversus me, obmutui et turbatus sum et silui a bonis* » [1]; et rursum : « *Tamquam surdus factus sum non audiens, et sicut* 10 *mutus non aperiens os suum; factus sum sicut homo non audiens* » [2]. Nos autem etiam illos ne audiamus, utpote nobis alienos; etiamsi nos ad orationem excitent et nobiscum de ieiuniis loquantur, ne illis respondeamus. Adtendamus potius ascesis nostrae studio; omnia enim dolose agunt. Non oportet 15 timere illos, etiamsi mortem nobis minentur; debiles enim sunt, neque quidquam mali nobis facere possunt.

28. « Nunc igitur eos rogabo ut [1] haec brevi dicam : vobis enim firma erit istorum commemoratio. Domino quidem adveniente cecidit inimicus, et ipse cogitationesque eius infirmatae 20 sunt. Itaque * nequaquam nobis quidquam facere potest; quasi * p. 35 tyrannus lapsus, non cessabat amplius, sed verbis tantum minabatur. Atque vestrum quisque illud sciat, et daemones contemnere potest. Si igitur talibus corporibus illigati essent qualibus nos sumus, dicere possent : « Homines latentes non invenimus; 25 si autem invenerimus, illis nocebimus »; et nos ipsi latere possemus ut nos non viderent, aut portam illis claudere. Sed quoniam tales non sunt, sed clausis ianuis in aerem ingredi possunt, et in toto aere versantur illi et princeps eorum diabolus (sunt enim mali amatores, et semper ad malefaciendum 30 parati, et, ut dixit Salvator, *ab initio homicida* est malitiae pater [2]), nos vero vivimus et conversamur adversus eos, ideo apparet illos nihil posse. Nec rursus locus illos impedit nobis malefacere, neque illis amici sumus ut nobis parcant, nec boni amantes sunt ut se corrigant, sed potius maligni sunt, neque 35 quidquam curant nisi ut virtutis amatoribus et Dei cultoribus

27. [1] *Ps.* XXXVIII, 2-3. — [2] *Ps.* XXXVII, 14-15.

28. [1] Corr. *non cunctabor quin.* — [2] IOH., VIII, 44.

malefaciant. Quia nihil nobis facere possunt, ideo seipsos vulnerant, quod nihil eorum facere possunt * quae minantur. Illud etiam scire nos oportet ne eos timeamus : si potentiam haberent, cum turbis etiam non accederent, nec phantasias facerent, nec dolos mutata forma adhiberent, sed unus sufficeret ad id nobis faciendum quod vellet, maxime cum quisquis potentiam habet, non cum phantasia occidat, neque turbis opus habeat, sed statim ut vult potentia utatur. Daemones vero nihil possunt agere ludentes quasi in scena essent, formas suas mutantes et pueros terrentes phantasiis plurimis et simulacris, quae magis contemnere debemus. Eos igitur debiles esse mementote. Verus autem angelus a Domino missus contra Assyrios, non turbis opus habuit, nec externis phantasiis, nec strepitu, sed quiete potentia usus est et *centum octoginta quinque milia* interfecit [3]. Isti vero nihil possunt facere, sed phantasiis temptant et perterrent.

* p. 36

29. « Si quis Iobi historiam cogitans dicat : ' Cur egressus diabolus isti haec mala omnia fecit, facultates eius abstulit, filios eius interfecit, vulnere malo eum percussit?', sciat non diabolum haec potuisse et fecisse, sed Deum Iob illi temptandum tradidisse. Ille enim nihil potest facere, sed petiit et accepta * potentia haec ei fecit. Unde ex hoc magis dignus est inimicus qui contemnatur, quia ne in unum quidem hominem iustum valuit; si enim valuisset id non petiisset; cum autem petierit, non semel, sed bis, infirmus esse neque quidquam facere posse apparuit. Non mirum est si nihil adversus Iob et iumenta eius potuit nisi Deus ei concessit; ne adversus porcos quidem potentiam habet, sed *rogaverunt Dominum,* ut in Evangelio scriptum est, *dicentes* : « *Mitte nos in gregem porcorum* »[1]. Quod si nec adversus porcos potestatem habent, quanto minus adversus homines habent, qui *ad imaginem Dei* [2] creati sunt.

* p. 37

30. « Deum igitur solum timere oportet, hos vero despicere et pro nihilo ducere. Sed potius, quo magis haec agunt, eo magis ad ascesim adversus eos pergamus. Magnum enim telum

[3] Cf. II *Reg.*, XIX, 35.
29. [1] MATTH., VIII, 31. — [2] Cf. *Gen.*, I, 27.

contra illum est vita recta et fides in Deum. Timent ieiunium et ascesim et vigiliam et orationem et tranquillitatem et mansuetudinem et pauperum amorem et misericordiam et lenitatem, maxime autem omnium erga Christum oboedientiam. Ideo enim haec omnia agunt, ne existant qui se conculcent. Sciunt gratiam fidelibus * adversus se datam a Salvatore dicente « *Ecce dedi vobis potentiam calcandi super serpentes et scorpiones et super omnem virtutem inimici* » [1].

* p. 38

31. « Etsi futura praedicere simulent, nemo eis oboedire attendat. Saepe enim fit ut de fratribus ad nos venientibus loquantur, et post dies veniunt illi. Isti autem haec non agunt quasi audientium curam gerentes, sed quo iis persuadeant ut sibi credant et eos postea sub potestatem suam redactos perdant. Sed cum loquantur, eos increpare debemus, nam iis non indigemus. Quid enim mirum si in levioribus quam homines corporibus constituti, viam ingressuros videntes, cursu occupent et rem annuntient? Aliquis etiam si equum conscenderit, pedibus currentem occupabit et rem proferet : quare illos ne hac quidem in re admirari oportet. Non autem cognoscent ea quae nondum facta sunt, sed quae vident, haec occupantes et quasi fures currentes dicunt. Praeterea etiam nostra proferunt, et nos in unum convenisse et haec verba adversus illos proferre; haec dicent priusquam quisquam a nobis discedens enarret. Hoc igitur cursor aliquis puer facere potest et tarde ambulantem occupare. Quod autem dico tale est : si quis e regione meridionali vel ex quadam alia regione ambulare coeperit, priusquam viam ingrediatur, illum ambulaturum * esse nesciunt; cum vero ambulantem vident, ambulantem occupant et antequam veniat dicunt illum post dies adventurum. Atque ita fit ut, ambulantibus retrorsum reversis, illi mentiantur.

* p. 39

32. « Hoc etiam modo multa verba de aqua fluvii facere solent : cum viderint pluvias multas in Aethiopum regione, scientes fluvium his compleri, priusquam aqua in Aegyptum deveniat, currentes et his annuntiantes occupant. Hoc etiam currens homo dicere posset, si ut isti currere posset. Et ut Davidis speculator in excelsum ascendens primus ante tempus venien-

30. [1] LUC., X, 19.

tem videbat[1], sic etiam qui praecurrit, ante alios profert non ea quae nondum facta sunt, sed quae fient; hoc etiam modo illi laborem inire volunt et alterutrum docere, solum ut homines decipiant. Postea vero, si Dei Providentia aliquid de aquis et de ambulantibus iusserit (potentiam enim habet), mendaces apparent daemones et decipiuntur qui iis adtenderunt.

33. « Ita constiterunt gentium oracula, ita daemones eas in illo tempore seduxerunt, sed statim cessavit seductio; venit enim Demiurgus, qui daemones et eorum operationes abolevit. Nihil enim * a seipsis cognoscunt, sed quasi fures proferunt quae apud nonnullos viderunt; potius autem coniectatores sunt, non praescii. Propterea si tales nonnulli inveniantur verum dicentes, nemo eos miretur. Etenim medici, morborum experti, cum quosdam viderint eodem morbo aegrotantes, saepe e priore consuetudine coniectant; nautae autem etiam et agricolae e consuetudine, cum aeris statum quomodo se habeat viderint, tempestatem futuram praedicunt, nec ideo quisquam dicet illos Dei inspiratione haec praedixisse, sed experimento et consuetudine. Daemones igitur ita coniectantes haec praedicunt; ne quis eos hac de re miretur neve iis adtendat. Quae enim res vel utilitas audientibus si futura aliquot ante diebus sciant per illos? Aut quid curae ea cognoscere? Talis enim res virtutem non operatur, neque signum est habitus boni. Nam nemo nostrum iudicabitur cur ea non cognoverit, nec beatus dicetur quod ea scierit, sed in his unusquisque iudicabitur, si *fidem servaverit*[1] et mandata legitime custodierit.

34. « Itaque haec curare non oportet, nec nos * ideo ascesim agere aut operam dare ut futura cognoscamus, immo potius ut *Deo* bene *placeamus*[a] : non enim orandum est ut praesciamus, sed ut nobis adiutor sit Dominus ad diabolum vincendum. Quod si nobis haec est cura ut cognoscamus, corde simus puri; ego enim confido animam emundatam et undique in statu suo naturali constitutam, admodum perspicacem esse posse, et saepissime plus quam daemones longinqua videre quippe quae

32. 1 Cf. II *Sam.*, XVIII, 24.
33. 1 Cf. II *Tim.*, IV, 7.
34. a Cf. I *Thess.*. IV, 1.

Dominum habeat sibi revelantem, ut Elisaeus propheta res Giezi vidit[1] et virtutes se circumstantes conspexit[2].

35. « Si autem etiam nocte vos adeant et futura vobis dicere velint, vel dicant : « Nos angeli sumus », nolite adtendere illis; mentiuntur enim; et si ascesim vestram laudent et vos beatos dicant, ne illis adtendatis, sed vos et domicilium vestrum signate, et orate, et eos videbitis cum pudore recedere. Infirmi enim sunt, et crucem Christi timent quia illa eos exspoliavit et de iis triumphavit[1]. Si autem sollerter saltantes steterint et * phantasiis seipsos commutantes, nolite timere, nec iis utpote bonis adtendere. Atque malorum et bonorum praesentiam facile est scire et internoscere, Deo gratiam tribuente; illo enim cognosci possunt : sanctorum quidem visio non perturbat, *neque clamant, neque audiet aliquis vocem* eorum[2]; placide enim et leniter apparent, ut animae illi gaudium et solatium statim fiat; nam cum iis est Dominus, qui solatium est et omne lumen ut apparentes videamus. Quod si quidam, utpote homines, timuerint, gloriosos bonosque apparere videntes, solent illi qui apparent statim timorem amore auferre, ut Gabriel Zachariae egit[3], et angelus qui mulieribus apparuit in sepulcro Domini[4], et qui pastoribus dixit : « Ne timueritis »[5]. Illorum enim timor non ad infirmitatem animae fit, sed ut agnoscantur gloriosi qui apparuerunt. Talis ergo est sanctorum visio.

36. « Malorum vero phantasiae turbatae sunt et turbant strepitu et magnis vocibus et clamoribus, ut facere solent indocti pueri aut fures. Ex his autem statim timor animae incutitur, turbatio, cogitationum confusio, * odium, maeror, domesticorum memoria, mortis timor, et postea malarum rerum concupiscentia, pusillanimitas erga virtutem et odium erga ascesim. Cum autem quosdam vobis apparentes videritis, nolite timere : si timorem statim auferant vobisque eius loco gaudium fiat et laetitia et quies et cogitationum tranquillitas et Dei amor, confidite et orate; gaudium enim et status animae ad vos advenientis sanctitatem indicat. Sic Abraham Dominum vidit et

1 Cf. II *Reg.*, V, 26. — 2 Cf. *ibid.*, VI, 17.
35. 1 Cf. *Col.*, II, 15. — 2 Cf. Is., XLII, 2, — 3 Cf. Luc., I, 13. — 4 Cf. Matth., XXVIII, 5. — 5 Cf. Luc., II, 10.

exsultavit [1], et Iohannes, sanctae virginis Mariae voce eum adtingente, laetitia gestivit et exsultavit [2]. Sin autem quibusdam apparentibus, magna perturbatio animam invadat et mortis minae, et quae ista sequuntur, <...........> [3].

37. « Et illud etiam vobis sit indicium : si quorumdam anima in timore remaneat, scitote inimicos venisse. Nequeunt enim daemones infirmitatem talibus modis auferre ut magnus archangelus Mariae [1] et Zachariae [2] egit, et qui in sepulcro mulieribus apparuit [3]; immo potius si quosdam turbatos videant, maiores efficiunt phantasias; postea superbiunt et eos irrident dicentes : « Prostrati * nos adorate ». Hoc enim modo Graecos seduxerunt; ita ab illis falsi aestimati sunt dei; nos vero non permisit Dominus a diabolo seduci; cum enim phantasias effecisset, eum increpuit dicens : « *Vade retro Satana; scriptum est enim : Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies* » [4]. Magis autem astutum illum despiciamus; quod Dominus dixit, propter nos egit, ut a vobis talia verba audientes daemones infirmarentur, propter Dominum qui eos increpuit.

38. « Non decet igitur quemquam gloriari quod daemonia eicit, neque extolli de curationibus, neque illum solum qui daemonia eicit mirari, eum autem qui non eicit despicere; sed potius oportet nos uniuscuiusque ascesim considerare et eos imitari; nam signa et miracula facere non nostrum est, sed Salvatoris; dixit enim discipulis suis : « *Nolite gaudere quia* daemonia *vobis subiciuntur; gaudete autem quod nomina vestra scripta sunt in caelis* » [1]. <...........> [2] testimonium virtutis est vita nostra [3]; si daemonia eicimus, gratia haec est Salvatoris; itaque dixit iis qui non in virtute gloriantur, sed de signis gloriantur, dicentes : « *Nonne * in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus?* », iis respondit : « *Amen dico vobis, nescio vos* » [4]. *Nescit* enim *Dominus*

36. 1 Cf. Ioh., VIII, 56. — 2 Cf. Luc., I, 41. — 3 Supple γινώσκετε ὅτι φαύλων ἐστὶν ἡ ἔφοδος (897 A 5-6).

37. 1 Cf. Luc., I, 30. — 2 Cf. Luc., I, 13, — 3 Cf. Matth., XXVIII, 5. — 4 Matth., IV, 10, cf. *Deut.*, VI, 13.

38. 1 Luc., X, 20. — 2 Supple τὸ μὲν γὰρ ἐν οὐρανῷ γεγράφθαι τὰ ὀνόματα (897 C 5 - 900 A 1). — 3 Corr. *vitae nostrae.* — 4 Matth., VII, 22.

iter impiorum [5]. Oportet autem nos semper *sine intermissione orare* [6] uti supra dixerunt [7], ut gratiam discretionis spirituum accipiamus {ad spiritus discernendos}, ne omni spiritui credamus [8].

39. « Volebam autem silere neque quidquam de me dicere; sed ne putetis me ista temere dicere, sed credatis me haec experimento et veritate loqui (<......> [1], tamen novit Dominus qui me audit puritatem conscientiae meae, meque non propter me, sed propter amorem et profectum vestrum haec dicturum), quae a daemonibus vidi, ea nunc ego dicam vobis. Saepe me beatum dixerunt et mihi in nomine Domini maledixerunt; saepe mihi de aqua fluminis dixerunt, ego autem iis dicebam : « Quid curae vobis de hoc? »; quasi milites me circumdabant, interdum etiam domum implebant equis et serpentibus, et ego psallebam dicens : « *Hi in curribus et hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei nostri* magnificabimur » [2], * et ille a Domino per orationem prosternebantur. Factum est autem etiam aliquando ut in tenebris venirent, luminis phantasiam in se habentes et dicentes : « Venimus allucere tibi, Antoni »; ego autem oculos meos clausi et oravi, et statim exstinctum est lumen. Venerunt etiam aliquando quasi psallentes et e Scriptura loquentes; *ego autem tamquam surdus non audivi* [3]; aliquando monasterium meum commoverunt, ego autem mente non commotus fui; venerunt etiam plaudentes, sibilantes, saltantes; ego autem oravi et psalli, et ipsi coeperunt flere et lamentari.

40. « Apparuit aliquando in phantasia daemonium altum et dicere ausum est : « Ego sum virtus Altissimi, et ego sum Providentia; quid vis tibi faciam? » Ego autem magis in eum insufflavi in nomine Domini, et percutere coepi quasi illum verberarem; et ille tantus eiusque daemones nomine Christi evanuerunt. Venit etiam astutus aliquando sub specie monachi

5 Cf. *Ps.*, I, 6. — 6 Cf. I *Thess.*, V, 17. — 7 Sic; copticus perperam intellexit καθὰ προεῖπον (900 A 9); corr. *dixi.* — 8 Cf. I Ioh., IV, 1.

39. 1 Deest κἂν ὡς ἄφρων γένωμαι (900 B 1). — 2 *Ps.* XIX, 8. — 3 *Ps.* XXXVII, 14.

ad me ieiunantem, panes magna cum phantasia habens et quasi mei curam gerens, mihique impudenter dicens : « Surge
* p. 47 et manduca, et ab istis * omnibus laboribus cessa : homo es et ipse, atque laborabis aegrotabisque ». Ego autem dolos eius cognovi, surrexi et oravi, atque ille me stantem et orantem tolerare non potuit, sed quasi fumus defecit et domo egredi visus est. Saepe aurum mihi in deserto ostendit tantum ut videns id tangerem; ego autem psalli et dissolutum est illud. Saepe me plagis conciderunt; ego autem dicebam : « *Nihil me separare* poterit *a caritate Christi* »[1], et illi sese mutuo caedebant. Non ego eram qui eos abolerem aut compescerem, sed Dominus qui ait : « *Vidi Satanam quasi fulgur de caelo cadentem* »[2]. Ego vero, filii, Apostoli dictum recordatus, formam in me assumpsi[3], ut et vos ipsi ediscatis non deficere in ascesi, neque diaboli phantasias timere.

41. « Quoniam quasi *insipiens factus sum*[1] haec dicendo, hoc quoque accipite ne timeatis, et mihi credite, nam non mentior. Pulsavit aliquando ianuam monasterii, et egressus aliquem vidi nigrum et altissimum; eum interrogavi : « Quis es ? » Respondit : « Ego sum Satanas »; dixi ei : « Et quid hic facis ? » Tum ille : « Cur monachi et christiani me accusant, cur mihi semper
* p. 48 maledicunt ? »; dixi ei : « Cur tu illos molestas ? » * « Non ego, ait, sed illi ipsi se turbant; ego enim infirmus factus sum; legistine : *Inimici defecerunt frameae* omnino *et urbes eorum destruxisti*[2] ? Ego enim deinceps nullum iam habeo locum, nullum telum, nullam urbem; christiani ubique facti sunt; desertum repletum est monachis; se ipsi observent, nec mihi frustra maledicant ». His autem a diabolo dictis, gratiam Domini valde admiratus sum, eique dixi : « Mendax es, neque unquam veritatem dixisti; hoc tamen nunc vere, licet invitus, dixisti; sed Christus veniens te infirmum fecit et deiecit et denudavit ». Ille autem, Christi nomine audito, tolerare non potuit, sed statim evanuit.

40. 1 Cf. *Rom.*, VIII, 35, 39. — 2 Luc., X, 18. — 3 I *Cor.*, IV, 6 : « Haec ... transfiguravi in me ».
41. 1 Cf. II *Cor.*, XI, 16; XII, 6, 11. — 2 *Ps.* IX, 7.

42. « Si vero diabolus confessus est nullam habere potestatem, ipsi illum et daemones eius contemnere debemus. Inimicus autem et canes eius tales habent dolos; nos vero, infirmitatem eorum scientes, eos contemnere possumus. Ne autem animo ante illum nos prosternamus, neu talem omnino cogitemus rem; sed confidamus magis et gaudeamus semper quasi salutem consecuti, et animo reputemus Dominum nobiscum esse qui eos vicit et contempsit. Semper reputemus et cogitemus animo, cum Dominus nobiscum sit, * nihil mali nobis ini- * p. 49
micum facere posse. Accedentes enim, quales nos invenerint, tales ipsi fient, et secundum cogitationes in quibus nos invenerint, ipsi phantasias adversus nos efficiunt. Si autem nos timentes et turbatos invenerint, ipsi quasi fures locum non custoditum invenientes contra nos surgent et quod animo cogitamus augentes nobis facient. Si nos inveniunt timentes et infirmos, magis nos animo perterrent phantasiis et minis, ac demum animam iis castigant; sin autem nos inveniunt in Domino gaudentes et animo de futuris bonis cogitantes et res Domini considerantes et nobiscum reputantes omnia in manibus Domini esse neque ullum daemonem quidquam in christianos posse, neque ullam in quempiam habere potestatem, animam talibus cogitationibus firmatam videntes, statim confusi retro revertuntur, ut inimicus Iob firmatum reperiens ab illo recessit, Iudam vero his nudatum inveniens captivum abduxit. Si inimicum contemnere volumus, res Domini semper cogitemus, et anima nostra semper in spe gaudeat, et ludibria daemonum quasi fumum videbimus, et illos nos fugientes, non persequentes. Infirmi enim valde sunt, ut praedixi, semper *ignem sibi paratum* prospicientes[1].

43. * « Signum enim habemus, ne eos timeamus : cum cuidam * p. 50 facta fuerit phantasia, ne infirme ante illam decidat, sed ille de quo agitur primum interroget confidens : « Quis es, aut unde venisti ? » Si quidem sancta sit visio quae tibi apparuerit, te laetificabit et timor tuus in gaudium vertetur; sin autem diaboli sit illa, statim infirmabitur, cor tuum purum videns; signum est enim imperturbati animi aliquem interrogare :

42. 1 Cf. Matth., XXV, 41.

« Quis es, aut unde venisti? » Ita filius Nave sciscitatus cognovit [1]; nec rursus inimicus Daniel interrogantem latuit [2]. »

44. Haec autem dicente Antonio, valde gavisi sunt, et aliorum ex illis cogitatio ad virtutem magis contendit, alii autem, qui pusillanimi erant, solatium acceperunt, omnesque daemonia contempserunt, gratiam mirati quam Deus Antonio tribuit. Et montes repleti sunt sanctis monachis, quasi Dei tabernaculis, psallentibus, ieiunantibus, orantibus, laborantibus, eleemosynas facientibus, caritatem et concordiam in invicem habentibus; et in illo loco erant, quasi vere regio esset segregata; nullus ibi erat qui iniuria afficeretur, * neque increpatio exactoris [1], sed multitudo ascetarum illic erat, cogitationem vero unam ad virtutem habebant; ita ut qui eos vidisset dixisset : « *Pulchrae domus tuae, Iacob, et tabernacula tua, Israel; ut nemora umbrosa et ut paradisi iuxta fluvios, quasi* fructus *prope aquas* » [2].

* p. 51

45. Antonius vero, secundum consuetudinem suam, solus secedebat in monasterio, cotidie in ascesi perseverans, et cotidie ingemebat caelorum mansiones secum reputans earumque desiderium habens, atque cotidie virorum Dei vitam considerans. Etenim, comesurus aut dormiturus, pudore afficiebatur, animae suae spiritualitatem [1] intellectum secum reputans. Saepe etiam cum fratribus comesurus, spiritualem cibum recordabatur, comedere abnuebat et abibat ab iis recedens, pudorem esse dicens si a quibusdam comedens videretur; solus igitur comedebat propter necessitatem corporis; saepe etiam cum fratribus comedebat et dicebat oportere animam * semper curare potius quam corpus, et corpori ipsi paulum panis concedere propter necessitatem, quod vero reliquum sit, animam curare et eius utilitatem quaerere, ne corporis voluptatibus detrahatur, immo potius corpus sibi *in servitutem redigat* [2]. Hoc enim dixit Dominus : « *Nolite solliciti esse animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini : haec enim*

* p. 52

43. 1 Cf. *Ios.*, V, 13-14. — 2 Cf. DAN., X, 11, 18, 19.
44. 1 Cf. *Iob*, III, 18; XXXIX, 7. — 2 *Num.*, XXIV, 5-6.
45. 1 ⲡⲛⲟⲏⲣⲟⲛ cod., postea add. prima manu. — 2 Cf. I *Cor.*, IX, 27.

omnia gentes quaerunt; ceterum quaerite primum regnum eius et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis » [3].

46. Post haec autem Ecclesiam attigit Maximiniani [1] persecutio, et cum sancti martyres Alexandriam ducendi essent, eos secutus est Antonius monasterium suum relinquens, dicens : « Eamus et nos, et cum sanctis decertemus si vocati erimus, aut decertantes videamus ». Volebat enim martyr fieri, diu in metallis et carceribus confessoribus ministrans; et magna cura illi erat in tribunalibus; eos qui ad decertandum vocabantur, exercebat ad alacritatem; eos autem qui martyrium passuri erant salutabat amplectens, et cum iis donec consummarentur ambulans. Iudex vero, intrepiditatem et * studium eius ad hanc rem videns, iussit nullum monachum in tribunali apparere, vel in urbe prorsus remanere. Alii autem omnes illo die latere simulaverunt; Antonius vero illud nullo modo curavit, ita ut ependyten suum optime lavaret, et postero die in excelsum locum ascendit ibique ante omnes stetit, et sese duci maxime candidum ostendit, omnibus hoc mirantibus; ac dux illum videbat, et postquam in loco iudicii surrexit, dum praeterit, ante illum stetit Antonius placide, christianorum alacritatem ostendens. Volebat enim et ipse martyr fieri, ut praedixi, et de hac re maerebat; Dominus autem eum conservavit ad eius [2] profectum et aliorum utilitatem, ut per ascesim quam e Scripturis didicit multorum magister fieret. Etenim multi, formam eius videntes et modum quo se educabat, conversationem eius imitari studuerunt. Rursum confessoribus ministrabat secundum consuetudinem suam et quasi vinctus cum illis erat [3], laborans in ministrando.

* p. 53

47. Postquam autem cessavit persecutio, et martyr factus est beatus episcopus Petrus, ad monasterium suum emigravit, et ibi cotidie in conscientia sua secedebat [1]; ingentem enim * ascesim, multam et valde asperam iniit : semper ieiunabat; vestimentum quo induebatur interius saccus erat, exterius autem pellicea vestis erat; et donec mortuus est, se aqua non

* p. 54

3 LUC., XII, 22, 30-31; MATTH., VI, 25, 32-33.
46. 1 Lege *Maximini*. — 2 Corr. *ad nostrum?* — 3 Cf. *Hebr.*, XIII, 3.
47. 1 Corr. *martyr erat*.

lavit, neque omnino pedes suos absque necessitate abluit; nemo eum nudum vidit, nisi quando mortuus est.

48. Cum enim secederet et constituisset nec egredi nec sinere quemquam ad se accedere, quidam Martinus nomine, qui princeps in militibus erat, Antonio molestus erat; filiam enim habebat a malo daemone molestatam. Postquam autem diu remanserat pulsans, eum rogavit ut exiret et ad Deum oraret propter filiam; ille vero ianuam ei aperire noluit, sed prospexit desuper eique dixit : « Homo, cur ad me clamas, qui et ipse homo sum sicut tu? Si in Christum confidis cui servio, vade secundum fidem tuam, ora ad Deum et sanabitur ». Atque statim credidit homo, nomen Christi invocavit, et a daemonio mundata est. Multa autem signa Dominus per eum fecit; plurimi enim patientium, cum ianuam illis non aperuisset, extra monasterium dormiebant, in toto corde suo confidentes, et sanabantur.

* p. 55

49. * Cum multitudinem vidit se molestantem nec sinentem ut volebat secedere, timuit, sicut voluit Dominus haec miracula per illum facere [1], <.....> [2] neve quis de ipso plus quam esset existimaret [3], secum deliberavit, et profectus est ut ad australem iret Aegyptum, ad homines qui eum non cognoscerent. A fratribus aliquot panes accepit et ad ripam fluminis sedit, prospiciens si forte transiret navicula aliqua ut eam conscenderet et illuc iret. Cum autem haec cogitaret, vox ad eum facta est de caelo dicens : « O Antoni, quo hinc vadis? » Ille vero nequaquam turbatus est, sed secundum consuetudinem suam, ut saepe vocabatur, ita etiam respondit : « Quia multitudines me non sinunt secedere aut quiescere, ideo volo ad australem Aegyptum ire, propterea quod me maxime molestant, ultra virtutem meam me rogantes ». Dixit ei vox : « Sive ad meridionalem regionem eas, sive, ut cogitas, eas ad Pastores, duplicem accipies laborem; si vere quiescere vis, vade in desertum interius ». Dixit Antonius : « Et quis viam illam mihi ostendet? », et statim ei Saracenos ostendit via illa progres-

49. 1 Hic locus corruptus videtur; cf. gr. 913 B 3 : μὴ ἐξ ὧν ὁ Κύριος ποιεῖ δι' αὐτοῦ — 2 Deest ἢ αὐτὸς ἐπαρθῇ (913 B 4). — 3 Cf. II *Cor.*, XII, 6.

suros. Antonius autem ad eos contendit et eos rogavit ut cum iis in desertum iret; illi vero velut * si Dei Providentia illis iuberet, cum alacritate eum ad se acceperunt; cum illis tres dies et tres noctes ambulavit, et ad montem pervenit magnum et excelsum, sub quo multa erat aqua purissima et dulcis et valde frigida; atque particula terrae illic erat, in qua aliquot erant palmae incultae.

* p. 56

50. Antonio autem, quasi a Deo moto, illic remanere placuit: hic enim erat locus quem illi indicaverat is qui cum illo ad ripam fluminis locutus erat. Primo quidem aliquot panes ab iis accepit quibuscum ambulaverat, in monte solus remansit, et in illo loco fuit ut aliquis domum suam agnoscens. Saraceni autem, cum Antonii alacritatem vidissent, saepe via illa ibant, et ei gaudentes aliquot dabant panes; et modicum solacium e palmis habebat. Postea, cum locum eius fratres didicissent, ut filii patris sui memores, eius curam gesserunt ad necessaria omnia ei mittenda; cum autem vidisset Antonius panis causa quosdam illorum qui eum adibant tanto itinere vexari et magnum perferre laborem, in hac etiam re fratrum ad se accedentium curam gessit; re secum deliberata, fratres se adeuntes rogavit ut sibi ligonem et securim et paulum frumenti afferrent. Quae cum illi attulissent, terram peragravit quae circa montem erat; * modicum locum invenit ad plantationem aptum, et eum optime coluit; in eo seminavit, et eum ut volebat irrigavit; atque hoc quotannis faciens, modicum panem suum sibi acquirebat, gaudens quod nemini deinceps laborem inferret, et maxime curans ne ulla in re iis oneri esset. Postea etiam, quosdam videns ad se venire, pauca sevit olera ut qui eum adirent paulum solacii invenirent propter itineris laborem. Initio quidem ferae quae in deserto sunt {et} propter aquam saepe veniebant, evertentes quae seminabat; ille autem, per Dei gratiam quae cum illo erat, unam ex illis feris apprehendens, omnibus dixit: « Cur culturam meam evertite, cum vobis nihil mali faciam? In nomine Christi, ne iterum huc revertimini. » Ferae igitur ex illo die, quasi timuissent praeceptum sibi ab illo datum, ad montem non reversae sunt.

* p. 57

51. Ipse autem ita in monte solus degebat, ascesi et orationi operam dans; fratres vero qui accedebant eum rogaverunt

ut per menses multos ei ministrarent; attulerunt ei olivas et grana et oleum; senex enim factus erat ibi degens. Quot labores sustinuerit, ut scriptum est : *Non est nobis colluctatio adversus sanguinem et carnem, sed adversus* malos daemones [1], ex illis qui ad eum accedebant didicimus; etenim illic perturbationes et voces plurimas et * strepitus armorum audiverunt; nocte autem montem videbant scintillis igneis plenum; ipsum spectabant quasi contra quosdam ab eo visos pugnantem; et orabat adversus illos. Eos autem qui accedebant maxime confortabat. Vere admirationis dignum est illum solum in illo deserto degisse, neque timuisse daemones aut feras multas quae illic essent; vere confidens *in Domino* factus est *sicut mons Sion* [2], ita ut potius daemones eum fugerent et ipsae *bestiae* immanes, ut scriptum est, *pacificae erant* illi [3].

52. Diabolus vero Antonium observabat, ut ait David psallens : « *Frenduit super me dentibus suis* » [1]. Antonius autem a Salvatore solacium accipiebat, liberatus ex calliditate inimici et multis astutiis eius. Cum autem vigilaret Antonius, noctu inimicus in eum feras immisit, et hyaenae omnes quae in illo deserto erant ex foveis suis egressae eum quasi corona circumdederunt; singulae earum os suum aperiebant, eum mordere minantes; ipse vero artem inimici intellegens illis omnibus dixit : « Si potestatem adversus me accepistis, paratus sum devorari a vobis; sin daemones * vos immiserunt, nolite hic remanere, sed recedite : ego enim servus sum Christi ». Haec Antonio dicente, aufugerunt illae, verbo eius quasi flagello pulsae.

53. Post paucos dies etiam operabatur (ei enim laborandi cura erat), et stetit aliquis ad ianuam et plectam traxit cui operabatur (sportas enim texebat, quas adeuntibus pro iis quae sibi afferebant dabat); surgens autem feram vidit usque ad femora formam habentem hominis, pedes <vero> et plantas asinis similes. Antonius autem, illam videns, seipsum signavit eique dixit : « Ego servus sum Christi; si in me immissus es, ecce hic adsum ». Fera vero, et daemones qui cum ipsa erant,

51. [1] *Ephes.*, VI, 12. — [2] *Ps.* CXXIV, 1. — [3] *Iob.* V, 23.
52. [1] *Ps.* XXXIV, 16.

tam celeriter aufugerunt ut prae velocitate cursus caderet et moreretur. Ferae mors malarum ferarum delapsus fuit; atque daemones qui omni modo conati erant Antonium e deserto abducere, non potuerunt.

54. Aliquando eum rogaverunt monachi ut ad eos descenderet et per multum tempus visitaret ipsos et domos ipsorum; et ambulavit cum iis qui eum adierant; camelus autem iis panem et aquam ferebat; nulla enim erat aqua in illo deserto, nisi in monte solum in quo monasterium erat Antonii; illic aquam sibi ad viam hauserunt. Cum igitur aqua eos * in via defecisset et ingens asperque aestus esset, omnes periclitabantur. Circumeuntes autem illa omnia, aquam non invenerunt ad bibendum; et omnino ambulare non potuerunt, sed humi iacuerunt; camelum autem abire siverunt, omnino desperantes. Senex vero, illos periclitari videns, tantum ingemuit; et paulum ab illis digressus, genua flexit et oravit; et statim Dominus effecit ut aqua esset in loco ubi oraverat. Et sic omnes biberunt, et animam resumpserunt utresque aqua impleverunt, et camelum perquisiverunt eumque invenerunt; eum enim ab iis dimissum funiculus lapidi circumvolutus retinuit; et ita eum invenerunt, adduxerunt eumque aqua potaverunt, et impositis illi sarcinis, in via progressi sunt. Ut autem ad interiora venit monasteria, illi omnes eum ut proprium patrem videntes <....> [1]; ille ipse, quasi munera ex monte iis attulisset, effecit ut verba sua illi mirarentur, et utilia iis dedit. Magnum autem erat gaudium in monte, et solacium per fidem in invicem [2]. Gavisus est autem et ipse fratrum alacritatem videns; atque sororem suam vidit in virginitate senuisse, aliisque virginibus et ipsam praeesse.

55. * Post aliquot dies etiam ad montem contendit, et multi ad eum accesserunt {sanationem consecuti sunt}, et alii morbo affecti ad eum progressi sanationem consecuti sunt. Dicebat autem fratribus ad se in montem advenientibus, iis hoc praeceptum assidue tradens, ut in Christum crederent eumque diligerent, et ab omni impura cogitatione carnisque voluptatibus se custodirent, et, ut in Proverbiis scriptum est,

54. [1] Supple κατησπάζοντο. — [2] Cf. *Rom.*, I, 12.

ventris saturitate ne deciperentur[1], et iactantiam fugerent, et sine intermissione orarent[2], psallerent quoque antequam dormirent, et de somno surgentes psallerent, et quae memoria tenuissent meditarentur, et res sanctorum recordarentur, ut anima eorum, in illorum rebus constituta, mandatis incitaretur. Maxime autem Apostoli dictum iis tradebat sine intermissione meditandum : « *Sol non occidat super iracundiam vestram* »[3]; et hoc verbum dixit ad omne mandatum pertinere, ut sol non occidat non solum super iracundiam sed super omne peccatum a nobis factum; bonum quidem est et utile nec solem nos propter diurnam malitiam condemnare nec lunam nos propter nocturnum peccatum aut etiam malam cogitationem accusare. Ut igitur hoc nobis salvum sit, bonum est nos Apostolo oboedire; hoc enim dicit : « *Vos temptate et vos cotidie probate* »[4]. Quare nunc quisque de actibus suis diurnis et nocturnis rationem ducat et hos apud se reponat : * si peccavit, desinat; sin autem non peccavit, ne glorietur sed in bono remaneat, neque neglegat, nec proximum suum condemnet, nec seipsum iustificet, sicut dixit magister Paulus, donec venerit Dominus qui renes scrutatur[5]. Multi enim ignorant quae facimus, eos latentia, et nosmetipsos, et quos nescimus; Dominus autem haec omnia cognoscit. Alii igitur cum aliis laboremus, et *alter alterius onera portemus*[6], nosmetipsos probemus, et quae nobis desunt perficere studeamus. Sit autem illa vobis observatio ad peccatum vitandum : quisque nostrum sibi adtendat, et opera quae facimus animarumque motus scribamus tamquam alii aliis dicturi; atque confidite fore ut, cum nos pudeat cognosci, peccare desinamus et etiam omnino cogitare quidquam mali facere; quis enim peccans videri vult? Aut quis, postquam peccaverit, non mentietur, neminem hoc scire volens? Ut igitur, si alii alios videamus, fornicare non poterimus, ita etiam cogitationes nostras quasi alii aliis dicturi scribamus, et hoc modo ab impuris cogitationibus nos magis custodiemus. Sit ergo nobis scriptura pro oculis sociorum

55. 1 *Prov.*, XXIV, 15. — 2 I *Thess.*, V, 17. — 3 *Ephes.*, IV, 26. — 4 II *Cor.*, XIII, 5 — 5 I *Cor.*, IV, 5; *Rom.*, II, 16. — 6 Cf. *Gal.*, VI, 2.

ascesis, ut aeque haec a nobis * scribi ac ab aliis videri erubescentes, omnino nihil mali in animo cogitemus; atque in tali forma ambulantes, *corpus in servitutem* nobis *redigere poterimus*[7] et Domino placebimus, et *super omnes* dolos *inimici calcabimus*[8].

56. Haec quidem se adeuntibus dicebat; cum patientibus et ipse patiebatur, ac pro iis orabat, a Domino exauditus; nec gloriabatur ab Illo exauditus, neque rursus non exauditus murmurabat, sed semper Domino gratias agebat. Patientes autem consolabatur ut longanimes essent, scirentque sanationem neque ipsius neque hominis, sed Dei solius esse, qui facit in tempore quod vult. Patientes quoque verbum senis tamquam sanationem accipiebant, quippe qui didicerant et ipsi non pusillanimes esse, sed longanimes. Eos autem quos sanabat docebat non Antonio, sed Domino soli gratias agere.

57. Quidam autem, Phronto nuncupatus, qui unus erat e palatio, morbum habens malum — nam linguam suam masticabat, et oculi eius perituri erant — ad montem venit senemque rogavit ut pro se precaretur. Antonius autem precatus est et dixit ei : « Abi, sanaberis ». Ille vero vim ei intulit et apud eum aliquot dies remansit. Antonius autem dixit ei : « Non potes hic sanari, sed abi, ac si in Aegyptum perveneris, videbis * signum sanationis quae[1] tibi continget ». Ac credidit ille, exiit, et ubi Aegyptum vidit, cessavit morbus et sanus factus est vir, secundum verbum Antonii quod a Salvatore adhuc orans cognovit.

58. Virgo autem etiam, quae una erat e Pusire de Tripoli, morbum habebat valde malum et dolorosum nimis; aquae enim quae ex ore eius et naso et auribus cadebant vermes fiebant; ac paralytica etiam erat in corpore suo, et oculi quoque eius corrupti erant. Parentes autem eius, cum cognovissent monachos aliquot ad Antonium euntes, crediderunt in Dominum, qui illam sanavit *quae fluxum patiebatur sanguinis*[1], eosque rogaverunt ut se sinerent cum eis ire. Illis autem cum persua-

7 Cf. I *Cor.*, IX, 27. — 8 Cf. Luc., X, 19.
57. 1 Vel *quod*.
58. 1 Cf. Matth., IX, 20.

sissent cum eis ad montem iverunt. Cum pervenerunt ad locum, remanserunt apud Paphnutium monachum et confessorem; fratres vero ingressi sunt ad Antonium, et cum inciperent ei narrare de virgine, praevenit eos narravitque eis de morbo quem habebat, et quomodo cum illis venisset. Postea eum rogaverunt ut sineret illos ingredi; ille autem non sivit eos ad se ingredi, sed dixit eis : « Exite; invenietis eam sanatam, nisi mortua est; mea enim non est haec res, sed Salvatoris; facit autem misericordiam suam in omni loco iis qui nomen eius invocant. * p. 65 Huic etiam * Dominus sanationem dedit ad se precanti; me autem ipsum bonitas eius docuit quia eam curaturus erat ». Exierunt inveneruntque parentes eius laetantes, sanata filia eorum.

59. Adeuntibus autem etiam ad eum fratribus duobus, eisque aqua deficiente in itinere, alter eorum mortuus est, et alter eorum moriturus erat; cum ambulare non posset, super terram se deiecit, expectans mortem. Antonius vero vocavit fratres duos qui apud eum erant die illo; dixit eis : « Accipite lagenam aquae, et ite in itinere Aegypti; invenietis fratres duos ad me venientes, quorum alter mortuus est, alter autem morti appropinquavit; festinate eumque accipite; hoc vero nunc mihi revelatum est oranti ». Euntes autem invenerunt alterum mortuum, eumque abstulerunt et sepeliverunt; alteri autem aquam dederunt, et cum spiritum recepisset, eum ad senem adduxerunt; iter enim diem unum longum ambulanti erat. Si quis autem quaerit cur hoc non dixerit antequam alter moreretur, non recte hoc dicit quaerens; etenim Antonii non erat iudicium Dei, qui de illo ita decrevit et iudicavit, eique[1] rem revelavit. Nam Antonii hoc tantum mirabile est quod cum in monte sederet, Dominus ei ostendebat quae longe ab eo erant.

60. Etenim quodam die, cum etiam in monte sederet, * p. 66 * aspexit et vidit quendam sublatum in aere, cum magnum gaudium esset eis qui illi obviam ibant. Antonius autem admiratus est et beatum praedicavit talem chorum, atque oravit, scire volens quid esset id quod vidisset; et statim vox ad eum

59. 1 Litt. *et mihi.*

venit, hanc esse animam Amun monachi in monte nitri degentis. **Hic** quoque et ipse asceta fuerat a iuventute usque ad senectutem; mons autem nitri ab Antonii monte tredecim dierum itineris intervallo distabat. Illi vero qui apud Antonium erant senem admirantem videntes, eum rogaverunt, rem scire volentes, iisque dixit ille : « Amun de monte nitri nunc requievit ». Illi[1] enim notus erat, quia saepe ad eum illuc accedebat et quia multa signa per illum quoque facta sunt, quorum unum illud est : necesse aliquando fuit eum fluvium pertransire qui vocatur Lycus, cum plenitudo esset aquarum. Quemdam vocavit, nomine Theodorum, secum ambulantem ut a se paulum secederet, ne mutuo se viderent in aqua natantes nudos. Cum autem erubesceret et hoc curaret, subito trans fluvium translatus est. Theodorus vero, vir et ipse timoratus, illum videns ante seipsum ad ripam advenisse, neque aquam in corpore habere, eum rogavit * ut modum disceret quo transmeasset. Cum * p. 67 illum vidit sibi nolle dicere, illius vestimenta et pedes apprehendit, ita ut non dimitteret nisi didicisset quid ei accidisset. Amun autem, Theodori contentionem videns, ab illo ipso exegit ut sibi polliceretur nemini dicere usque ad diem mortis suae; ita ei narravit : « Sublatus et trans fluvium positus sum; omnino non ambulavi, neque hominum potentia est ut haec res iis fiat, sed Dei solius est, et eorum quibus hoc dare vult, ut fecit magno Apostolo Petro[2] ». Theodorus vero, postquam Amun mortuus est, nobis hoc narravit; fratres autem quibus de morte Amun Antonius locutus est, diem illum sibi scripserunt, et cum fratres post dies triginta ad montem nitri iissent, eos interrogaverunt <.....>[3] et illa hora qua senex animam Amun viderat ad caelum efferri, tum illum requievisse. Atque utrique Antonii animae mirati sunt puritatem, illumque statim cognovisse quod tanto intervallo tredecim dierum itineris fieret.

61. Comes autem etiam Archelaos, cum illum aliquando in exteriore monte invenisset, eum rogavit ut tantum oraret pro Polycratia virgine, quae Laodiciae erat, conversatione mira-

60. 1 Lege *illis?* — 2 Cf. MATTH., XIV, 28-29. — 3 Supple καὶ ἔγνωσαν ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ καὶ (932 A 6-7).

* p. 68 bili et Christum in se habente. * Aegrotabat illa, e stomacho et latere laborans prae nimiis ascesibus suis, et infirma tota erat in corpore. Antonius igitur oravit; comes autem diem sibi adnotavit quo oratio pro illa ab Antonio facta est, atque Laodiciam reversus virginem sanatam invenit, et rogavit diem quo morbo sanata esset, chartamque protulit in qua dies orationis scriptus erat, atque illos horam docuit in charta scriptam; mirati sunt omnes cognoscentes Dominum tum dolore illam sanavisse cum Antonius pro illa oraret, Salvatoris bonitatem propter illam obsecrans.

62. De accedentibus autem ad se saepe praedicebat aliquot diebus antequam venirent; interdum etiam ante mensem dicebat, et qua de causa ad se venturi essent nuntiabat. Alii quidem tantum ut eum viderent adibant, alii autem etiam a daemonibus vexati, et quicumque ad eum accedebant itineris laborem vexationem non existimabant, neque detrimentum ei inesse; unusquisque enim revertebatur sentiens vel noscens utilitatem quam acceperat. Talia autem videns et dicens, fratres rogabat Antonius ut nemo se miraretur, sed potius Dominum mirarentur, quia nos homines sumus, et nobis impertivit ut eum secundum potestatem nostram cognosceremus.

* p. 69 **63.** * Quodam autem die ivit etiam ad exteriora monasteria, et eum rogaverunt ut in naviculam ascenderet et cum monachis quibusdam oraret; ille autem solus odorem percepit amarum et pessimum. Fratres vero qui in navicula erant pisces esse dicebant qui in nave essent, et salsamenta, eorumque esse odorem illum. Ille vero dixit talem [1] foetorem esse quem sentiret. Ipso autem adhuc loquente iuvenis quidam prodiit qui daemonem habebat et ante alios in naviculam intraverat, statimque exclamavit, daemonium increpans in nomine Iesu Christi; atque statim e iuvene exivit, et sanus ille factus est, comperientibus omnibus daemonis esse odorem illum.

64. Alius autem etiam magnus et praeclarus, daemonium habens <....> [1]; daemon autem tam malus erat ut ille in quo

63. 1 Corr. *non talem*.
64. 1 Supple ἦλθεν... πρὸς αὐτὸν (933 A 13-14).

erat nesciret se ad Antonium duci, immo carnes suas ipse comedebat. Qui autem illum adduxerant Antonium rogaverunt ut pro eo oraret; ille vero iuveni condoluit, oravitque et cum eo totam noctem illam vigilavit. Iuvenis autem subito circa aurorae tempus in Antonium irruit eumque impulit. Quod cum viderent illi qui cum illo venerant, indignati sunt; iisque dixit Antonius : « Nolite iuveni irasci; haec enim non ipse agit, sed spiritus qui in eo est ». Illum autem increpavit et iussit in loca abire in quibus nulla * esset aqua. Iis enim dixit Antonius: * p. 70 « Quod in me impetum fecit, daemonis exitus signum est ». Quae cum dixisset Antonius, statim sanus factus est iuvenis et restituta mente ubi esset agnovit et senem salutavit, Deo sanctisque eius gratias agens.

65. Multa igitur his similia plurimi monachi concordanter dixerunt ab eo quiete facta esse. Haec autem non mirabiliora sunt quam alia quae pervulgata sunt. Factum est aliquando, cum comesurus et ad orandum surrexisset (hora nona erat), ut seipsum sentiret mente abripi; atque valde mirum erat, ut stans seipsum videret quasi extra se positum, et per aerem a quibusdam duceretur aliique in aere starent pessimi et amari, eum continere volentes ne transiret et eos antecederet. Illis autem qui eum deducebant resistere volentibus, temptaverunt pessimi illi rationem ab illo reposcere ut scirent num sub potestate sua esset vel sibi obnoxius. Cum autem vellent pessimi illi rationem ab eo reposcere inde a die quo natus est, illi qui eum deducebant eos impediverunt dicentes eis : « Quae quidem sunt a die nativitatis eius, Dominus delevit; inde a die quo factus est monachus et Deo professus est, licet vobis rationem reposcere ab eo, inde a die illo ». Tunc accusatores eius cum haec ei probare vel eum damnare non possent, in hora * illa via libera facta est, neque eum * p. 71 impedire potuerunt, sed statim seipsum vidit Antonius quasi stantem more suo in oratione. Comedere quidem oblitus est, et remansit reliqua parte diei illius et alia nocte gemens et orans. Miratus est enim videns in quot nobis sit certamen nostrum, ac per quot labores futurum sit ut in aere pertransire possit aliquis, recordatus de Apostolo

dicente : « *Secundum principem potestatis aeris* »[1]; in hoc enim habet inimicus potestatem, in pugnando, temptando, in prohibendis et impediendis iis qui trans se ascendunt. Quapropter nimis praecepit eis dicens : « *Accipite armaturam Dei, ut possitis stare in die malo* »[2], ut inimicus *nullam rem malam in vos inveniat et confundatur*[3]. Nos vero, hoc factum esse discentes, recordati sumus de Apostolo dicente : « *Sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit* »[4]. Sed Paulus quidem *ad* tertium *caelum ablatus est* et *audivit verba abscondita* et descendit[5]; Antonius autem seipsum vidit ad aerem pervenisse et concertavit donec liber appareret.

66. Habebat autem hoc etiam aliud gratiae donum[1] : cum enim solus sederet in monte, si qua res quaestionis ad eum veniret et de illa anceps esset, * Providentia illam ei revelabat * p. 72 oranti; atque beatus ille Antonius *discipulus* erat *Dei,* secundum quae scripta sunt[2]. Post haec autem sermonem etiam habuit aliquando cum quibusdam qui ad eum venerant de animae statu, de sede eius, vel qui sit locus qui ei futurus sit post haec. In alia autem nocte vocavit eum aliquis e caelo dicens : « Antoni, egredere et vide ». <.....>[3] — sciebat enim quibus oboedire oporteret — aspiciens vidit longum quemdam aspectu taeterrimum, terribilem, stantem, usque ad nubes pervenientem, cum quidam ascenderent, alas habentes; atque ille manus suas extendebat; alios quidem impediebat, alii autem volantes illum superaverunt ut sursum assumerentur. Atque in hoc stridebat dentibus suis longus ille; gaudebat vero de illis qui sub ipso decidebant. Vox autem facta est ad Antonium : « Intellige quod vides »[4], et aperto corde eius[5], cognovit hoc esse assumptionem animarum quas vidit, atque longum illum stantem esse inimicum qui invidet fidelibus et prohibuit reos sibi et obnoxios et impedit eos, etiamsi transeunt ab eo, ne penetrent sine cura et sollicitudine; * illos autem qui ei non * p. 73

65. 1 *Ephes.*, II, 2. — 2 *Ephes.*, VI, 13. — 3 *Tit.*, II, 8, — 4 II *Cor.*, XII, 2. — 5 II *Cor.*, XII, 4.

66. 1 Litt. *hanc aliam rem gratiae.* — 2 Ioh., VI, 45. — 3 Deest ἐξελθὼν τοίνυν (937 A 4). — 4 Cf. Dan., IX, 23. — 5 Cf. Luc., XXIV, 45.

oboediverunt, non potuit prohibere sed ascendentes superabant eum. Hoc etiam cum vidisset, quasi edoctus nimis factus est, contendens ut cotidie proficeret *ad illa quae sunt priora*[6]. Ista autem non libenter dixit et narravit ei[7], sed cum in oratione immoraretur admirans solus apud seipsum, interrogaverunt eum illi qui cum eo erant, prementes eum et molestantes, ut se doceret ea quae videret, et ita eum coegerunt, atque ista eis dixit, tamquam pater qui filios suos quicquam celare non potest, et quia scit conscientiam suam puram esse, atque illa quae dicturus esset utilia futura esse quibusdam aliis, ut cognoscerent et discerent ab eo fructum bonum esse in ascesi ac revelationes illas consolationem esse fratribus multis eum adeuntibus.

67. Vir enim bonus erat moribus et purus corde; cum autem talis esset, canones ecclesiae nimis honorabat, omnemque clericum sibi praeesse honore volebat. Episcopo enim vel presbytero caput inclinare eum non pudebat; diaconus autem quoque si eum adibat aliquando ut ab eo utilitatem acciperet, de iis quidem quae isti utilia essent loquebatur ei (Antonius), cum vero oraturi essent locum ei cedebat ut ante seipsum oraret * <.....>[1], rogans illos qui apud eum erant ut ab eis * p. 74 audiret, et se profecisse confitebatur si quis verbum utile ante ipsum diceret. Vultus autem eius magnum charisma habebat coram Salvatore; cum vero in medio monachorum multorum esset, si quis eum videre vellet non cognoscens eum, statim accedebat ille praetermittens ceteros omnes monachos qui apud Antonium erant, procedebat autem ad eum quasi vultus Antonii illum ad se adtraheret; Antonius enim nec altitudine nec latitudine illis qui apud eum erant maior erat, sed ab illis omnibus differebat habitu et moribus atque puritate animae. Si enim anima sine perturbatione est, sensus externos imperturbatos acquirit, ita ut ex animae laetitia vultus hilaris fiat, atque e corporis motibus sentiatur et intelligatur status et modus animae quomodo se habeat, sicut scriptum est : « *Cor*

6 *Philipp.*, III, 13. — 7 Lege *eis*?

67. 1 Deest οὐχ αἰδούμενος μανθάνειν καὶ αὐτός. Καὶ γὰρ πολλάκις ἐπυνθάνετο καὶ (937 C 7-8).

laetans gaudium dat vultui; maestus est autem cum (illud) *in tristitiis est* »[2]. Sic Iacob cognovit Laban cogitantem in se mala et dixit : « *Vultus patris nostri mecum non est sicut heri et nudius tertius* »[3]. Sic etiam Samuel cognovit David; oculi * enim eius pleni erant gaudio, dentes eius sicut lac[4]. Sic Antonius cognoscebatur : quando enim perturbatus fuit, cum anima eius in serenitate esset? Quando maestus fuit unquam, cum cor eius semper gauderet?

* p. 75

68. Fidem autem eius admirabantur, quippe qui pius erat; cum Meletianis vero non communicavit, cognoscens malitiam eorum et apostasiam, nec (cum) Manichaeis, sed docebat eos solum ut ad pietatem converterentur, admonens eos illorum amicitiam vel solum colloquium damnum ac perniciem esse animae. Sic Arianorum haeresim abominabatur, unumquemque admonens ne eis omnino appropinquaret. Quidam igitur Arianorum aliquando eum adierunt; (tum) eos diiudicavit et cum cognovisset eos impios esse nimis, persecutus est eos e monte, dicens verba eorum peiora esse serpentibus.

69. Mentiti sunt etiam aliquando Ariani quasi credente illo sicut dicerent (ipsi); indignatus est et miratus est nimis audiens. Postea autem rogaverunt episcopi et presbyteri et omnes fratres, atque descendit de monte, et ingressus est Alexandriam, Arianos praedicavit, exsecrans eos, * dicens haeresim illam impuriorem esse quam reliquas omnes; sunt enim praecursores Antichristi. Ac populum docuit Filium Dei non creaturam esse, nec factum esse ex eo quod non erat, sed ex essentia esse Patris; Verbum est et sapientia Patris. Itaque impietas est dicere fuisse tempus quo non esset; est enim in omni tempore cum Patre Verbum. « Quare nolite communicationem ullam habere cum Arianis; nulla enim *societas est luci ad tenebras*[1]. Vos enim christiani estis, quippe qui pii estis in fide; isti vero, dicentes creaturam esse Filium Dei, nihil differunt a gentibus servientibus *creaturae potius quam Illi qui creavit*[2]. Credite autem creaturam ipsam universam

* p. 76

[2] *Prov.*, XV, 13. — [3] *Gen.*, XXXI, 5. — [4] Cf. I *Sam.*, XVI, 12; XVII, 42.

69. [1] II *Cor.*, VI, 14. — [2] Cf. *Rom.*, I, 25.

in eos irasci, quia Creatorem et Dominum universi, qui universum in se esse fecit, annumerant iis quae facta sunt ».

70. Populus autem totus laetabatur haec audiens a tanto homine haeresim illam exsecrante quae cum Christo pugnat. Quicumque igitur in urbe erant una currebant Antonium videre volentes; ac gentiles et qui sacerdotes vocantur ad ecclesiam iverunt dicentes : « Hominem Dei Antonium videre volumus ». Etenim etiam in loco illo Dominus per eum multos mundavit * a daemoniis obsessos, mentemque habentes laesam sanavit. Multi etiam e paganis rogaverunt ut senem tantum contingerent, credentes in illo tantum contingendo se profecturos esse; ac multi christiani facti sunt in diebus illis[1].

* p. 77

71. Cum autem discessurus esset, nos ipsi eum comitabamur; ut vero ad portam pervenimus, mulier quaedam clamavit post eum dicens : « Sta, o homo Dei, nam daemon quidam filiam meam valde molestat, vexans eam; exspecta me, quaeso, ne et ego pericliter currens post te ». Quae ubi audivit senex, constitit; ubi vero ad eum pervenit mulier, statim puella ad pedes eius cecidit. Antonius autem precans nomen Christi pronuntiavit; filia illius surrexit sana, et mater eius laudavit Deum et sanctum eius Antonium. Ille vero gaudebat ad montem iturus tamquam aliquis domum suam iturus.

72. Ac mirum est quod, litteras nesciens, prudens erat et sapientiam intelligebat. Duo philosophi eum aliquando adierunt, qui pagani erant, Antonium temptare volentes; erat autem in monte exteriore. Ille vero homines cognovit vultu, et ad eos exiens, per interpretem dixit eis, refutans eos : « Cur vos vexastis, o philosophi, * et venistis ad hominem stultum? » Illi vero dixerunt : « Non stultus es tu, sed sapiens nimis ». Dixit eis : « Si ad stultum venistis, inanis est labor vester; si arbitramini me sapientem esse, estote sicut et ego; oportet enim bona imitemur eaque aemulemur. Si enim ego essem qui vos adiissem, vos aemulatus essem; si vos me adiistis, estote sicut ego; christianus enim sum ». Illi autem mirati sunt et abierunt; viderant enim quod daemones ipsi Antonium timebant.

* p. 78

70. [1] Hic desunt quinque lineae textus graeci (944 A 2-6).

73. Alii etiam tales eum adierunt ad montem exteriorem, arbitrantes se illum irrisuros quia litteras non cognosceret. Dixit eis Antonius : « Vos quid dicitis prius esse, mentem an litteras? Quid horum alterius causa est : mensne causa est litterarum, an litterae causa sunt mentis? Et utrum creatum est propter alterum? » Illi autem dixerunt mentem priorem esse, et mentem esse inventricem litterarum. Dixit eis Antonius : « Qui mentem habet sanam, ei litterae non necessariae sunt ». Hunc autem sermonem mirati sunt illi et alii; abierunt mirantes quod scientiam hanc viderunt in tali idiota. Etenim mores non habebat agrestes, ut in montibus degens et senex in locis illis factus; sed gratiam magnam habebat, et erat tamquam urbanus *sermonem* habens *conditum sale* divinitatis[1]; (* p. 79) * ita ut nemo ei invideret; laetabantur potius omnes qui ad eum accedebant.

74. Postea alii etiam eum adierunt aliquando, illi et qui[1] putantur sapientes esse apud paganos, interrogantes eum et petentes ab eo de fide quae nobis est in Christum Iesum Dominum; atque ausi sunt loqui de praedicatione crucis Christi, et cum eo certaverunt, volentes eum irridere. Antonius vero paulum moratus est; prius quidem contristatus est propter eorum ignorantiam; postea cum eis locutus est per interpretem : « Quid melius est, crucemne confiteri, an adulteria et puerorum corruptiones applicare iis quos deos vocatis? Id enim quod dicimus, confitemur signum esse fortitudinis indiciumque ut eum contemnamus[2]. Illa vero quae vos dicitis passiones sunt impuritatis. Postea quid melius est dicere, quod Verbum Dei non erravit sed manens sicut est accepit corpus humanum ut nobis bene faceret, et participavit generationi humanae ut homines participes faceret naturae divinitatis intellectualis; aut oportet Deum assimilare iumentis irrationabilibus, et tamquam deos colere ista et serpentes (* p. 80) * et imagines hominum? Haec enim colitis. Atque vos sapientes quomodo nos poteritis irridere quia dicimus Christum apparuisse

73. 1 Cf. *Col.*, IV, 6.
74. 1 Lege *illi <autem ex iis erant qui>*; cf. gr. 945 B 3. — 2 Lege *contemnendae mortis*.

hominem constitutum, cum dicatis animam exiisse e Deo et erravisse et cecidisse de fornice caeli in corpus; credo igitur nunc quae dicitis, illam in hominem dumtaxat intravisse, nec in iumenta serpentesque immutatam esse. Fides enim dicit Christum venisse propter salutem hominum; vos autem, hoc dicentes, errores introducitis animae tamquam non genitae. Nos vero cogitamus in corde nostro de potentia Providentiae, quia hoc non impossibile est Divinitati; vos autem, animam dicentes imaginem esse Dei, casum ei applicatis eamque fabulantes dicitis declinavisse, atque in Spiritum inducitis quod et ipse declinet propter animam. Qualis enim est imago, necesse est illum quoque talem esse sicut[3] imago est. Si autem haec de Spiritu existimatis, cogitate vos etiam in Patrem ipsum Spiritus blasphemare.

75. « De cruce vero quid melius est vos dicere, crucem tolerare cum homines illi mali insidias suas facerent, nec timere (* p. 81) * qualemcumque mortem sibi illatam ab illis, aut mythos fabulasque dicentes inducere errores quosdam Osiridis et Isidis, et insidias τοῦ Zeth, et fugam Croni et quod liberos suos devoraverit et parricidia. Quomodo enim nunc crucem irridetis et eius resurrectionem e mortuis non miramini? Nam qui illud dixerunt iidem hoc quoque scripserunt. Aut cur crucem memorate, mortuos autem quos suscitavit relinquite, et caecos quos videre fecit, et paralyticos quos curavit, et leprosos quos mundavit, et quod ambulavit super aquas maris, et signa aliaque miracula ab eo facta, quae homo facere non potest, immo quae Christum Deum esse manifestant. Videmini igitur magnam valde iniuriam facere, Scripturas non legentes toto corde vestro et cum rectitudine; sed vos quidem istas legite cum rectitudine, et videte illa quae fecit Christus Deum eum demonstrare qui propter salutem hominum venit.

76. « Vos ipsi vestra nobis dicite. Quid enim dicetis, a iumentis irrationabilibus edocti, nisi irrationabilitates et feritatem? Si vero, sicut audio, dicere vultis, vos ipsos rogate[1] ea quae dicta sunt in parabola, atque illa allegorizatis aliosque modos

3 Legendum videtur *cuius*.
76. 1 Sic cod.

dicitis, puellam quidem raptam * typum facitis terrae, et claudicationem Hephaesti refertis ad ignem, Heram ad aerem, Apollinem <ad solem, Artemin> ad lunam, Posidonem ad mare; nam in hoc etiam Deum non colitis, sed *creaturam* colitis *potius quam* Deum *qui* omnia *creavit* [2]. Etenim si talia composuistis quia bona esset creatura, at oportet vos illam mirari tantum, nec creaturam deum facere et venerari, ne honorem Creatoris illis quae creavit detis. Si enim ita non est, oportet vos honorem architecti deferre eumque in domum transferre quam aedificavit, aut honorem ducis militi eius dare. Quid igitur dicetis ad haec, ut sciamus quod crux nihil habet dignum irrisione? ».

77. Illi autem haesitaverunt, huc illucque aspicientes; Antonius vero risit et dixit eis per interpretem : « Haec quidem refutationem suam habent manifestam unicuique [1]; quoniam <autem> vos nimis confiditis verbis quibus inest demonstratio, atque hanc habentes artem nos quoque Deum colere sine demonstratione verborum non vultis, dicite igitur vos res nobis primum : quomodo cognitio Dei manifestabitur potius et cognoscetur, * probationibus eorum an operatione fidei? Ac quid maius est, fides per operationem, an demonstratio per verba? » Responderunt illi fidem per operationem maiorem esse, atque hanc esse cognitionem veram et certam. Respondit Antonius : « Bene dixistis ita; fides enim fit e dispositione animae, ita ut qui operationem fidei habeant, iis non necessaria, aut forte etiam superflua sit demonstratio verborum. Etenim quod per fidem intellegimus, id vos per verba componere vultis; immo forte intelligere non potestis ea quae dicimus, ita ut melior sit et firmior nimis operatio per fidem quam sapientia verba vestra quibus disputatis.

78. « Nos vero christiani mysteria non habemus in sapientia verborum Graecorum [1], sed in virtute fidei quae nobis datur a Christo. Ut autem sciatis verum esse verbum, ecce nunc scribere nescimus et credimus in Deum, cum Providentia eius

[2] Cf. *Rom.*, 1, 25.
77. [1] Litt. *per omnes* (vel *per omnia*).
78. [1] Id est *paganorum*; cf. I *Cor.*, 11, 4-5.

cognoverimus quae in creationem eius est. Ac quod operatur fides, ecce nunc nos firmi sumus super fidem in Christum, vos vero pugnis verborum sapientiae exaltatis vos. Et phantasiae quidem dolorum vestrorum abolentur; fides vero nostra [2] ubique extenditur. * Vos quidem disputantes et verbis plenis doli pugnantes non poteritis nobis persuadere ut pagani [3] fiamus; nos vero fidem in Christum docentes convertimus vos ex idololatria immunda, omnibus cognoscentibus Christum esse Deum et Filium Dei. Vester ipsorum cultus quem daemonibus facitis manifeste non illustratur. Ac vos quidem versibus vestris et bonis locutionibus et sermone pulchro non poteritis impedire doctrinam Christi ; nos vero nomen tantum Christi dicentes qui crucifixus est, daemones persequimur eosque (nomine) illo eicimus. Atque in loco ubi signum crucis est, impotens est magia, veneficium autem non operatur.

79. « Dicite ergo nobis ubi sint nunc magiae vestrae, ubi sint incantatores Aegyptiorum, ubi sint phantasiae Aegyptiorum quibus magiam faciunt. Quo tempore cessaverunt haec omnia, nisi tempore quo fuit crux Christi? Num igitur illa irrisione digna est, an potius oportet irridere ea quae per illam abolemus et infirma esse per illam convincuntur. Etenim haec quoque res miranda est quia vestra quidem non insectantur, immo homines illa per urbes honorant; Christi autem homines [1] insectantur, (et tamen) florent et crescunt atque plus quam vestra multiplicantur. Vestra quidem, si includuntur, * pereunt; fides vero Christi a vobis irrisa, saepe a regibus insectata est atque orbem terrarum totum replevit. Quo igitur tempore cognitio divinitatis taliter splenduit, aut quo tempore mors contempta est, nisi die quo fuit crux Christi? Nemo unquam dubitat, videns martyres mortem propter Christum contemnentes, virginesque Ecclesiae corpus suum Christo custodientes purum.

80. « Nonne igitur sufficiunt signa ista ad manifestandum fidem rectam quae ad Christum pertinet veram esse ad Dei cultum? Si vero vos increduli estis et quaeritis demonstrationes

[2] Videsis textum copticum. — [3] Litt. *graeci*.
79. [1] Vel *res*.

per verba, nos autem non dabimus demonstrationes ut probemus, sicut dixit magister noster, *in persuasione sapientiae verborum* paganorum [1], at in fide persuadebimur operante, quae prior est verbis vestris quae componitis. Ecce nonnulli hic sunt a daemonibus patientes — nonnulli eum adierant a daemonibus vexati, et in medium eos duxit, et dixit illis: — In verbis vestris doli plenis, vel arte quam vultis, vel magia, invocate daemones vestros et hos mundate; si non potestis, hanc pugnam deponite quam nobiscum facitis, * et virtutem Christi videbitis ». Haec autem cum dixisset, Christum invocavit, et signo crucis patientes ter signavit, ac statim homines sani fuerunt, et gratias egerunt Domino Iesu. Illi qui philosophi dicuntur mirati sunt, et sapientia hominis Dei stupefacti sunt signoque quod factum est. Dixit eis Antonius : « Cur me miramini? Non ego sum qui hoc facio, sed Christus hoc facit iis qui in eum credunt. Credite vos ipsi, ita estote, et scietis quod verba nostra non in arte verborum sit, sed in *fide quae per amorem* in Christum *operatur* [2]. Hanc nunc si habetis et possidetis, demonstrationes verborum non quaeretis, sed existimabitis sufficere fidem in Christum ». Haec vero verba Antonii apud illos; ipsi autem eum valde mirati sunt, abierunt gratias ei agentes et confessi sunt verba eius sibi bene profuisse.

81. Fama Antonii ad reges pervenit. Haec autem cum audivissent Constantinus autocrator et Constantius et Constans, scripserunt ei « patrem nostrum » (eum nominantes), ac rogaverunt ut et ipsi ab illo litteras acciperent. Sed litterae ei curae non fuerunt, nec * gavisus est super epistulas regum; ipse vero erat talis qualis erat antequam reges ei scripserunt. Cum litteras accepit, vocavit monachos et dixit eis : « Cur miramini quod rex nobis scripsit? Etenim et ipse homo est. Sed potius miramini quod Deus nobis scripsit legem suam et cum nobis locutus est per Filium suum ». Epistulam autem eorum accipere nolebat, dicens : « Nescio scribere ». Monachi eum hortati sunt dicentes : « Christiani sunt; noli eos in dubitationem inferre

80. [1] Litt. *Graecorum*; cf. I *Cor.*, II, 4. — [2] Cf. *Gal.*, V, 6.

ne scandalizentur ». Tum permisit eis ut eas legerent, ac scripsit illis ad exemplar eorum, laudans eos quod Christum adorant, eosque illa admonens quae ad salutem eorum pertinent, ac ne putarent mundana [1] magna esse — temporalia enim sunt —, sed ut ipsi recordarentur futurum iudicium et Dominum esse regem nostrum omnium. Rogavit eos etiam ut essent Dei amantes et hominum amantes, ac iustum facerent. Illi vero cum litteras eius acceperunt, valde gavisi sunt. Atque ita apud omnes [2] agebat.

82. Talis igitur erat cum cognosceretur. Ascesim quoque agebat more suo; <etenim saepe...> [1]. Etenim saepe cum in monte sederet, quae * in Aegypto fiebant cognoscebat et dicebat Sarapioni episcopo qui intra montem cum ipso erat. Factum est autem aliquando ut sedens et operans in ecstasi esset et nimis gemeret, cum in visione revelationis esset. Deinde vero, post horam, cum fratribus accubuit [2] gemens, atque in timore fuit, et surrexit et precatus est et genua flexit, et surrexit flens senex. Tremuerunt autem et qui apud illum erant et valde timuerunt, eumque rogaverunt ut se doceret id quod vidisset, ac valde molestaverunt eum donec eos quod vidisset doceret. Ille vero dixit eis magno cum dolore : « Filii mei, melius est me mori priusquam fiant quae vidi ». Rogaverunt eum magis ut eos doceret. Ille vero flevit et dixit eis : « Ira ecclesiam comprehendet, et dabitur illa manibus hominum iumentis similium. Vidi enim ecclesiam undique circumdatam a mulis ad eam stantibus et calcitrantibus eos qui [3] intra locum illum erant, tamquam iumenta saltantia et perturbantia. Deinde cum gemui, plane sentistis; audivi vocem dicentem : ' Vastabitur altare ' ». Haec vidit senex Dei amans; post annos duos Ariani insiluerunt super ecclesiam, rapuerunt eam, vi rapuerunt vasa quae in illa erant, a gentilibus portari fecerunt, * turbas coegerunt ut ei qui in officinis sunt cum ipsis convenirent. Tunc nos omnes novimus hoc esse calcitratum mulorum qui Antonio praenuntiatus erat, illa esse quae Ariani irrationabiliter faciunt

81. [1] Litt. gall. *les choses d'ici-bas.* — [2] Sic; gr. παρὰ πᾶσιν (957 A 4).
82. — [1] Desunt quinque lineae textus graeci (957 A 9-13). — [2] Sic; lege ⲁϥⲕⲟⲧϥ ⲉⲛⲉⲥⲛⲏⲩ *ad fratres conversus est.*

sicut iumenta. Ubi autem hanc visionem vidit, cognovit haec decretum esse ut fierent ac nobis dixit : « Nolite pusillanimes esse, filii mei, nam ut Dominus iratus est, ita sanabit, atque ecclesia iterum etiam erit in honore suo fulgebitque ut prius, ac videbitis illos qui insectati sunt in locum suum rediisse more suo et impios in foveas suas secedere, piorum autem fidem, quae Dei cultus est, ubique fidenter agere suaviter [4]. Tantum vos custodite, nolite vos cum Arianis polluere; doctrina enim eorum non Apostolorum est, sed daemonum et *patris* eorum *diaboli* [5], atque irrationabilis est scientia quae nihil potest apud mentem rectam, sicut bestialitas mulorum. »

83. Haec quidem verba Antonii; non oportet incredulos esse de ipsis, quia mirabilia illa per hominem omnia facta sunt. Haec enim promissio Salvatoris est dicentis : « *Si habetis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti : Transmigra, et transmigrabit* » [1]. Et etiam : « *Amen dico * vobis, quod petetis a Patre meo, dabit vobis in nomine meo. Petite et accipietis* » [2]. Ipse etiam dicit discipulis suis et omnibus qui in eum credunt : « *Infirmos curate; leprosos mundate; daemonia eicite; gratis accepistis, gratis date* » [3].

84. At non imperabat Antonius sanationes faciens, sed orans et nomen Dei proferens, ut res manifestaretur omnibus, quia non ipse esset qui haec faceret, sed Dominum qui facit philanthropiam suam per Antonium electum suum, et ille patientes curat. Antonius vero nimis dolebat, vexatus a turbis quae eum trahebant ad montem exteriorem. Etenim iudices omnes rogaverunt eum ut descenderet in montem, quia non possent ad locum illum ingredi propter illos qui eos sequebantur. Ille autem eos adire abnuebat. Miserunt ad illum nonnullos causas habentes, sub militibus constitutos, ut illorum causa descenderet ad eos. Ubi vero descendit et illos flentes vidit, iter eius vanum non fuit vel quasi nullam habens utilitatem; utile [1] enim erat turbis, et adventus eius commoda conferebat [2]. * Proderat autem proceribus et iudicibus exhortans eos et suadens eis ut iustum

[3] Vel *ea quae*. — [4] Leg. *libere*? — [5] Cf. Ioh., VIII, 44.
83. [1] Matth., XVII, 19. — [2] Ioh., XVI, 23-24. — [3] Matth., X, 8.
84. [1] Vel *utilis* (sc. *Antonius*). — [2] Litt. *in bonis erat*.

amarent ante omnia et Deum timerent et scirent quia iudicio quo iudicavissent ipso iudicandi essent [3]. Verumtamen mansionem in monte rebus omnibus praeferebat sanctus.

85. Factum est autem aliquando ut vim ei inferrent qui eo indigebant, et dux rogaret per plurima verba [1] ut nonnullis diebus amplius maneret. Ille vero recusavit et non remansit, dicens se cum ipsis morari non posse, dixitque eis exemplum pulchrum, aiens : « Sicut pisces, si in arido morantur, cito moriuntur, ita monachi, si vobiscum morantur, cito dissolvuntur; oportet [2], sicut piscis festinans ut ad mare eat, monachus quoque festinet ut ad montem eat; ne commorantes obliviscamur custodiae interioris ». Haec autem ubi audivit dux, miratus est dicens : « Hic servus Dei est; ubi invenit idiota talis hanc scientiam et mentem et animum sapientem, nisi quia Deus eum amat ? »

86. Dux quidam, cuius nomen Balacios, nos christianos persecutus est propter studium quod in Arianos habebat. Nimis malus erat, cum * crudelis valde esset, ita ut virgines ipsas verberaret, monachos vestibus eorum nudaret et verberaret. Antonius autem misit ad illum epistulam his verbis (conscriptam) [1] : « Video iram super te venientem; desine christianos persequi, ne ira tibi superveniat antequam scias. » Balacios vero, cum epistulam accepit, risit et eam proiecit spuens in eam; illos autem qui istam ei attulerant male habuit eisque praecepit ut Antonio haec verba omnia dicerent : « Quoniam monachorum misertus es, illorumque curam habuisti, ecce ad te venio, nec tibi parcam. » Atque antequam transirent quinque dies, ira ei supervenit. Exivit autem Balacios ad primam stationem a Racote [2] (ad) locum Chereu nuncupatum, Nestorio praefecto τῆς Racote cum eo iter faciente; illi vero equis insidebant qui Balacii erant, et erant equi isti mitissimi omnium equorum quos habebat. Priusquam igitur ad locum illum pervenerunt, coeperunt equi ludere alter cum altero

[3] Cf. Matth., VII, 2.
85. [1] Hic desunt tres lineae textus gr. 961 B 12-15. — [2] Litt. *oportet nos*.
86. [1] Litt. *dicens*. — [2] I. e. *Alexandria*.

secundum morem suum; ac subito repente equus cui insidebat Nestorius, (et) qui nimium mitis erat, pedem Balacii momordit, eum deiecit et super eum incubuit, atque ita femur eius dentibus confregit. Statim in urbem delatus est, intra autem tres dies mortuus est. Atque omnes mirati sunt * id quod Antonius dixit cito super illum perfectum esse.

87. Ita etiam docebat omnes homines ut quiescerent; alios autem quoque qui eum adierunt docebat ut obliviscerentur, ut iustitiam acciperent per tribunal ac se beatos praedicarent in vita sua [1]. Eos vero qui iniuriam patiebantur protegebat, ita ut nonnulli intra se putarent ipsum esse qui iniuriam pateretur. Erat autem idoneus ad utilitatem omnibus praebendam, ita ut multos qui bona multa haberent, ista relinquere faceret et monachi fierent. Medicus vero erat, a Deo in Aegypto positus. Quis enim unquam eum adiit tristis, et domum non reversus est gaudens? Aut quis propter suos mortuos [2] ivit, et luctum non deposuit? Quis pauper eum adiit, et in paupertate sua consolationem non accepit? Quis monachus, pusillanimis factus, eum adiit et robur non invenit? Quis iuvenis ad montem iens vidit Antonium et statim non aruit e voluptatibus quae * cum eo bellum gerebant? Aut quis cogitationibus suis vexatus, non tranquillus corde factus est?

88. Etenim magna est res ascesis Antonii, cum gratiam haberet ad spiritus discernendos, sicut antea dixi; sciebat enim quod in eis movetur, ac cognoscebat impetum qui eorum unicuique est, ut insidias malaque faciat. Non tantum autem Antonius ab illis irrideri non potuit, sed alios qui per istos impugnabantur et cogitationibus molestabantur docebat quomodo in eorum insidias valere possimus [1], dicens eis dolos illorum qui intra eos operantur. Unusquisque autem illorum qui eum adibat valebat, quasi ab eo exerceretur. Quot virgines desponsatae, cum tantum vidissent Antonium in ripa, virgines manserunt vero regi Christo usque ad diem mortis suae! Veniebant autem ad eum e regionibus exterioribus, et illi

87. 1 Lege *beatos praedicarent eos qui ex hac vita secesserunt?* — 2 Supple *flens?*

88. 1 Leg. *possint?*

quoque per ipsum proficiebant et ad locum suum revertebantur, ipso deducente eos tanquam pater bonus. Etenim, defuncto illo, facti sunt omnes * sicut orphani a quibus pater ablatus esset.

89. Finis vero vitae eius quomodo fuerit dignum nos commemorare ac vos ipsos me attente audire; etenim hoc etiam fuit ei (tale) ut omnes id imitarentur. Fratres visitavit in exteriore monte habitantes, ac per Providentiam praescivit diem mortis suae; cum fratribus locutus est dicens: « Ultima vice nunc vos adeo ad vos visitandos, neque iterum alterutrum revidebimus in hoc mundo. Advenit *tempus ut* et ego *dissolvar* [1]; perveni enim ad annos centum quinque ». Illi autem, ubi haec audiverunt, fleverunt eumque amplexi et deosculati sunt. Senex vero laetabatur quasi ab extraneo loco exiens ut ad urbem suam accederet <....> [2] ne pusillanimes essent in laboribus, neve animo deficerent et ab ascesi desisterent, sed ut apparerent [3] quasi cotidie morituri, sicut praedixi [4], ut omni studio conarentur animam suam custodire ab omni cogitatione mala. « Et nolite adhaerere Meletianis schismaticis; nostis enim eorum propositum impurum et malitiam; neque ullam habeatis societatem cum Arianis; eorum enim impietas * omnibus manifesta est. Etiamsi videritis proceres et iudices protegere istos, ne turbemini; cessabit enim phantasia eorum, quae ad modicum tempus est. Custodite igitur vos puros ab illis, ac traditiones patrum vestrorum custodite et ante omnia fidem in Dominum Iesum Christum. »

90. Cum autem fratres vim ei inferebant, volentes illum secum remanere donec tempus suum perficeret, non consensit propter hanc rem maxime, quia Aegyptiis placet [1] corpora studiosorum mortuorum, maxime autem martyrum sanctorum funerare et involvere vestibus, in terram vero non inhumare, sed in lectulis ponunt illa et apud se custodiunt, putantes in hoc defunctum honorare. Antonius autem cum episcopis locutus est, rogans eos propter hanc rem ut populis de hoc praeci-

89. 1 Cf. II *Tim.*, IV, 6. — 2 Deest *monebat eos.* — 3 Lege *viverent.* — 4 Intellege *sicut praedixerat (Antonius).*

90. 1 Litt. *Aegyptii amant.*

perent; et ipse quoque populos vituperabat mulieresque obiurgabat dicens : « Non iustum est illud; etenim monumenta patriarcharum et prophetarum usque ad hodiernum diem existunt; corpus benedictum Domini Iesu Christi in monumento positum est et absconditum est donec tertia die resurrexit. » Ista autem dicens beatus, illos volebat in terram corpus * moriturorum [2] abscondere, sive iusti sive peccatoris; quis enim maior est, servi aut dominus eorum [3]? Multi quidem ei oboedierunt et illa in terram absconderunt.

91. Ipse autem, timens ne cum corpore suo ita agerent, festinavit, fratribus in exteriore monte constitutis edixit, atque in interiorem montem ivit, in locum ubi manebat. Et post paucos dies aegrotavit fratresque qui apud eum erant vocavit; duo autem erant qui cum eo mansere per decem circiter annos ministrantes ei quia senex erat; dixit eis : « Ego quidem in via patrum meorum abiturus sum, sicut scriptum est [1]; video enim me a Domino vocatum ut ad illum eam; vos autem vigilate, et ascesim vestram nolite perdere in qua tanto tempore fuistis, sed estote sicut coepistis et custodite alacritatem vestram. Novistis dolos daemonum malorum; vidistis quidem hos debiles esse; nolite timere eos, sed Christum semper intra vos ponite, super illum vos ipsos confirmate, in Christo odorem bonum emittentes; velut cotidie morituri <...> [2], et recordamini quae a me audivistis. Ne ulla sit vobis societas cum schismaticis istis Meletianis et Arianis et haereticis; novistis quomodo ab ipsis secesserim propter eorum haeresim malam et inimicitiam erga Christum. Studete vos ipsi et conamini in omni re * ut vos Christo Domino adiungatis (et) deinde sanctis eius, ut *vos* mortuos *recipiant in aeterna tabernacula* [3] quasi amicos et notos. Haec in mente vestra reponite, haec cogitate; ac si curam mei habetis et mei tamquam patris recordamini, nolite permittere corpus meum in Aegyptum auferri, ne in domibus suis id deponant; propter hoc enim in hunc montem veni. Novistis quod semper vitupero eos qui

2 Sic cod. — 3 Cf. Ioh., XIII, 16; XV, 20.
91. 1 *Ios.*, XXIII, 14. — 2 Deest *vivite vobis ipsis attendentes.* — 3 Cf. Luc., XVI, 9.

hoc faciunt eisque praecipio ut a tali consuetudine desistant. Vos vero corpus meum in terram inhumate, meaque verba custodite ne quis sciat locum ubi sit corpus meum, nisi vos soli; ego enim ipsum accipiam in die [4] Domini incorruptum. Mea autem vestimenta dividite; Athanasio date pelliceam meam vestem et tegimentum quod sub me extenditur; ille enim id mihi dedit novum; ecce vetustum factum est. Ac Sarapioni episcopo date melotem meam. Vos ipsi habetote vestem meam cilicinam. Atque estote sani, o filii mei; Antonius enim de hac vita transmigrabit, neque vobiscum erit abhinc. »

92. Haec autem cum dixisset, eum osculati sunt omnes; ac pedes suos erexit super lectum et vidit eos qui ut amici obviam ei venerant, et cum ipsis laetatus est; * vultus enim eorum hilaris erat, eumque viderunt gaudentem ad Dominum abiturum; atque ita spiritum suum dedit manibus Dei, et apud patres suos abiit. Fratres vero, quemadmodum praeceperat eis, funerarunt corpus eius et in terram absconderunt, neque quisquam hactenus novit ubi inhumatum sit, nisi discipuli eius soli. Ille autem qui melotem beati Antonii accepit et vestimentum ab eo detritum, haec sibi custodivit quasi magnam facultatem; etenim ista videns, quasi Antonium est videns; si istis vestitur, similis est gestanti monita illius cum gaudio.

93. Hic igitur est finis Antonii in corpore et hic finis ascesis eius; ac si pauca sunt haec pro virtutibus hominis illius, ex his vos ipsi existimate qualis fuerit Antonius homo Dei, a iuventute sua usque ad senectutem custodiens ascesim semper; ciborum multorum desiderium senectutem eius non devicit, nec mutavit schema vestimenti sui propter debilitatem corporis; pedes suos aqua non lavit; atque in his omnibus constitutis, a nulla noxia affectus est. Etenim oculi eius sani erant, nullo affecti defectu, et bene videbat; ac nullus e dentibus eius excidit, solummodo attriti sunt per magnam aetatem senectutis eius; pedibus quoque et manibus suis sanus erat. Apparebat * autem pulchrior et clarior quam qui cibos multos comedunt et in balneis lavantur et pulchras ferunt vestes, atque alacris erat fortitudine sua. Signum nobis est animae eius et

4 Deest *resurrectionis mortuorum a.*

virtutis Deum diligentis, quod ubique famosus factus est, et eum mirati sunt omnes qui eum viderunt, et eum diligebant qui eum non viderunt. Non cognitus est Antonius propter libros quos scripsit, plenos tractatuum, nec sapientia exteriore [1], sed tantum propter pietatem suam in Deum. Quomodo enim fama eius pervenit ad Galilaeam [2], atque ad Hispaniam pervenit, cum sub monte latens sederet? Nomen eius igitur ubi [2] auditum est Romae et in Africa, nisi Deus, qui suos cognosci iubet ubique, Antonio a principio pollicitus esset? Etenim etsi occulte degunt neque apparent, Dominus omnibus eos manifestat sicut lucernam, ut audituri studium et ipsi accipiant ad virtutem.

94. Haec igitur nunc legite fratribus, ut sciant cuiusmodi debeat esse vita monachorum ac super Dominum Iesum Christum complaceant, qui glorificantes se glorificat, et sibi servientes usque * <...> [1] famosos facit propter aliorum utilitatem. Si autem etiam opus est, haec gentilibus quoque legite, ut et ipsi notionem accipiant non solum Dominum nostrum Iesum Christum Deum esse, sed Dei filium, et eos qui Ipsi serviunt toto corde suo daemones insectare quos gentiles deos esse putant; hos igitur christiani coarguunt non solum non esse deos, sed eos conculcant et persequuntur ut seductores et corruptores hominum. Vos ergo, o fratres, sani estote virtute sanctae Trinitatis. Amen.

93. [1] Id est *mundana*. — [2] Sic; lege *Galliam*. — [3] Sic; pro πῶς (973 B 15) legit ποῦ.
94. [1] Deest *ad finem* etc. (976 **A** 3-6).

FRAGMENTA

CODEX A

A 1

33. *...] eos mirari. [Et] enim medici, morborum experti, cum quosdam viderint eodem morbo aegrotantes, saepe secundum consuetudinem coniectant et praedicunt; nautae autem etiam et agricolae e consuetudine sua, cum aeris statum quomodo se habeat viderint, praedicunt tempestatem futuram esse, aut futu[rum esse] ae[rem] tranqu[illum] : ideo aliquis [dice]t non ex Dei inspiratione illos haec praedixisse, sed experimento et consuetudine. Si igitur (*verso*) daemones coniectantes haec praedicunt, ne quis eos ita hac in re miretur neve iis adtendat. Quae enim utilitas audientibus si de futuris aliquot ante dies sciant per illos, etiamsi haec sciant vera? Talis res nos virtutem operari non facit, nec signum est haec res habitus boni. * Nam nemo nostrum iudi[cabitur] cur ea non co[gnov]erit, nec bea[tus di]cetur quia sciverit, [sed] in his unus[quisque] iudicabitur, si *fidem servaverit* [1] et mandata [custodive]rit [...

A 2

55. * ...] ea animaeque motus tamquam alii aliis dicturi, et confidite fore ut, cum omnino vos pudeat cognosci, peccare desinamus et etiam omnino quidquam mali putare [1]; quis enim peccans videri vult? Aut quis, postquam peccaverit, non mentietur? Ut igitur, si alii alios videamus, peccare non poterimus, nec fornicare, ita cogitationes nostras quasi alii aliis dicturi scribamus et ab impuris cogitationibus nos magis custodiamus, erubescentes istas cognosci. Sit ergo nobis scriptum pro oculis

33. [1] Cf. II *Tim.*, IV, 7.
55. [1] Leg. ⲉⲛⲙⲉⲉⲩⲉ ?

ascesis sociorum, ut aeque haec a nobis scribi atque ab aliis videri erubescentes, (*verso*) omnino nihil mali animo cogitemus; ita igitur in hac forma nos educantes, *corpus in servitutem* nobis *redigere* poterimus [2], et Domino placebimus et *super* dolum *inimici calcabimus* [3]. 5

56. Haec quidem se adeuntibus dicebat et tradebat; cum patientibus autem et ipse patiebatur, ac cum iis orabat; saepe igitur in multis rebus Dominus eum exaudiebat; non gloriabatur autem ab illo exauditus, nec rursus non exauditus murmurabat, et semper Domino gratias agebat. Patientes autem 10

A 3

* p. 106 * consolabatur ut longanimes essent, scirentque sanationem non ipsius sed Dei solius esse, qui facit in tempore quod vult iis quibus ei placet. Patientes autem verbum senis tanquam sanationem accipiebant, quippe qui didicerant non pusillanimes esse, sed longanimes valde. Eos autem quos sanabat docebat 15 non ipsi sed Domino soli gratias agere.

57. Quidam autem Phrunto, qui unus erat e Palatio, morbum habens malum — nam linguam suam masticabat et oculi eius perituri erant — ad montem venit, Antoniumque rogavit ut precaretur (*verso*) pro se. Ille autem precatus est et dixit 20 Phruntoni : « Abi, sanaberis ». Ille vero vim ei intulit et apud eum aliquot dies remansit. Antonius dixit ei perseverans : « Non potes sanari dum hic es, sed abi, ac si in Aegyptum perveneris, videbis signum quod tibi fiet ». Ac credidit ille, exiit; ubi autem Aegyptum tantum vidit, cessavit morbus et 25 sanus factus est homo secundum verbum Antonii, quod a Salvatore orans cognovit.

58. Virgo autem, quae una erat e Pusire de Tripoli, morbum habebat valde malum et dolorosum nimis; aquae enim quae de ea decidebant et de naso et auribus eius cum in terram 30 cadebant, statim vermes fiebant; corpore igitur paralytica erat, et oculi eius non erant sani. Parentes autem eius, cum * p. 107 * cognovissent monachos aliquot ad Antonium ituros, credi-

[2] Cf. I *Cor.*, IX, 27. — [3] Cf. Luc., X, 19.

derunt in Dominum qui illam sanavit *quae fluxum patiebatur sanguinis* [1], eosque rogaverunt ut cum eis ambularent cum filia. Illis autem cum persuasissent, cum eis iverunt. Cum autem intus pervenerunt, parentes quidem eius extra montem 5 remanserunt cum filia apud Paphnutium confessorem monachum; fratres vero ingressi sunt ad Antonium, et cum vellent tantum ei narrare de virgine, praevenit eis eosque monuit de morbo quem habebat puella et quomodo cum illis venisset. Postea, eum rogaverunt ut permitteret illos ad 10 se ingredi; hoc quidem non sivit senex illos facere; dixit autem eis : « Ite et invenietis eam sanatam, nisi mortua est; mea enim non est haec res vel facinus, ut ad me, qui miser sum homo, veniat, sed Salvatoris est sanatio haec. Me ipsum bonitas eius docuit quia morbum puellae istius curaturus esset ». 15 Mirati sunt valde et cum exiissent invenerunt parentes eius laetantes et puellam sanatam.

59. Adeuntibus autem aliquando ad eum fratribus duobus, et aqua quam habebant deficiente in itinere, alter eorum mortuus est, atque alter moriturus et ipse erat; cum autem ambu- 20 lare non posset, super terram se deiecit et mortem exspectavit. Antonius vero, in monte sedens, vocavit monachos duos — apud eum erant die illo —, eisque instituit dicens : « Accipite lagenam aquae, et currite in itinere Aegypti; duobus enim fratribus ad me venientibus, alter quidem nunc mortuus est, 25 alter autem morti appropinquavit; * festinate, eumque accipite. * p. 108 Hoc enim mihi revelatum est nunc oranti ». Euntes autem monachi alterum quidem invenerunt, eumque abstulerunt et sepeliverunt; alteri autem aquam dederunt, et cum respiravisset mentemque recepisset, eum ad senem adduxerunt; iter 30 enim diem unum longum ambulanti erat. Si quis autem quaerit cur hoc non dixerit antequam alter moreretur, non recte hoc dicit quaerens; etenim Antonii non erat decretum mortis, sed Dei qui de illo decrevit et iudicavit eumque rem docuit et revelavit. Antonii hoc tantum mirabile est [...

58. [1] Cf. Matth., IX, 20.

CODEX B

B 1

* p. 109

46. * ...] eos amplectebatur, sese eis adiungebat et cum eis donec consummarentur ambulabat. Iudex vero, intrepiditatem illius et eorum qui cum illo erant, et studium eorum ad hanc rem videns, iussit nullum monachum in tribunali apparere, vel in urbe prorsus remanere. Illi igitur omnes in illo die latere simulaverunt; Antonius ergo illum nullo modo curavit, sed ependytem suum lavit tantum, et postero die ante omnes stetit super locum excelsum, et sese candidum ostendit. Omnes igitur hoc mirati sunt; ac dux illum videbat, et postquam etiam in loco iudicii surrexit admonens, ante illum stetit Antonius placide, christianorum alacritatem ostendens.* (*verso*) Volebat enim et ipse martyr fieri, ut praedixi; ille quidem maerebat quod martyr non fuisset; Dominus autem eum conservavit ad nostram et aliorum utilitatem, ut per ascesim quam e Scripturis didicit multorum magister fieret. Etenim, multi, formam tantum eius videntes et modum quo se educabat, conversationem eius imitari studuerunt. Rursum autem confessoribus ministrabat secundum consuetudinem suam et quasi vinctus cum illis erat.

* p. 110

47. Postquam autem cessavit persecutio, et martyr factus est beatus episcopus Petrus, emigravit Antonius et ad monasterium suum ivit, et cum ibi esset, martyr erat cotidie in conscientia sua et fidei certaminibus dimicabat. Iniit enim ascesim multam et asperam [...

B 2

* p. 111

50. * ...] Postea, cum locum didicissent fratres, ut filii patris sui memores curam gesserunt ad necessaria ei mittenda. Cum vidisset Antonius panis causa quosdam vexari ut ad se venirent tanto itinere, et perferre laborem, monachorum misertus est et de hoc etiam curavit; re secum deliberata, fratres se adeuntes rogavit ut sibi ligonem, id est sarculum, et securem et paulum frumenti afferrent. Quae cum illi attulissent, terram peragravit

quae circa montem erat; modicum locum invenit ad plantationem aptum, eum coluit et in eo seminavit, cum apud illum aqua esset ad irrigandum ut volebat; <...> [1] hoc quotannis, panem suum sibi acquirebat, gaudens quod nemini laborem inferret, et in omnibus curans ne quemquam vexaret. Cum autem videret quosdam ad se venire, pauca sevit olera, ut qui eum adiret paulum solacii inveniret propter itineris illius laborem. * (*verso*) Initio quidem ferae quae in deserto sunt saepe aquae causa veniebant et quae cultura sua seminabat evertebant; ille autem cum gratia unam e feris apprehendens dixit ei : « Cur culturam meam evertite, cum vobis nihil faciam? Abite in nomine Domini; ne huc deinceps revenite ». Ac, quasi timuissent praeceptum sibi ab illo datum, ad locum illum non revenerunt inde a die illo.

* p. 112

51. Erat autem intra montem ascesi et orationi operam dans; fratres vero qui ad eum accedebant post tempus magnum rogaverunt eum ut ei olivas et grana et oleum afferrent; senex enim factus erat in hac valle degens. Quot labores sustinuerit, secundum quod scriptum est : « *Non est nobis culluctatio adversus sanguinem et carnem, sed* per daemones qui nobis adversantur » [1], ex illis qui ad eum accedebant didicimus [...

50. 1 Supple *et faciens.*
51. 1 *Ephes.*, VI, 12.

CODEX C

C 1

* p. 113 **37.** * « ...]di[cens] : « *Vade [retro, Sata]na; scriptum est enim :* « *Dominum Deum tuum adorabis* et illi soli *servies.* » [1] Magis autem dolosum illum despiciamus propter haec; quod enim Dominus dixit, [prop]ter illum [egit ut] a [vobis] au[dientes daemones...

38. « ... dae]mo[nia] so[lum,] eum autem qui non [eicit] des[picere], sed oportet te uniuscuiusque [asce]sim considerare [...] eum imitari et aemulari vel in habitu suo stare. Nam signa facere nostrum non est, sed Salvatoris res; dixit ergo discipulis suis : « *Nolite gaudere quia* daemonia *vobis subiciuntur, sed quia nomen vestrum scriptum est in caelis.* » [1] [Testimo]nium [virtutis] nostrae [vitae ...

* p. 114 * (*verso*) ... « *nonne*] *in nomine tuo daemonia eiecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus* », respondit dicens eis : « *Amen dico vobis, nescio vos.* » [2] *Dominus* enim *novit iter impiorum* [3]. Oportet igitur nos in omni re *sine intermissione* orare [4], uti supra dixi, ut gratiam [dis]cretionis [spirituum] accipiamus ut[...

39. « ...] sed ne putetis me ista [te]mere dicere, sed credatis me haec experimento [1] et veritate loqui. Itaque, etiamsi *insipientes* sumus [2], tamen novit Dominus qui me audit puri[ta]tem conscienti[ae] meae, meque non prop[ter me dicere], sed prop[ter] am[orem] vestrum et [...

C 2

* p. 115 **40.** * « ...] tantum ut videns id [tan]gerem; ego autem psalli et dissoluti sunt illi. Saepe me plagis conciderunt; ego autem dicebam : « *Nihil me separabit a caritate Dei* » [1], et illi sese

37. 1 Matth., IV, 10.
38. 1 Luc., X, 20. — 2 Matth., VII, 22. — 3 Cf. *Ps.* I, 6. — 4 Cf. I *Thess.*, V, 17.
39. 1 Lege ϫⲟⲛⲧⲥ ? — 2 Cf. II *Cor.*, XI, 16; XII, 6, 11.
40. 1 *Rom.*, VIII, 35, 39.

tantum mutuo ceciderunt. Non ego autem eram qui eos abolerem vel compescerem, sed Dominus qui ait : « *Vidi Satanam quasi fulgur de caelo cadentem* » [2]. Ego vero, filii, Apostoli dictum recordatus, formam in me assumpsi [3], ut ediscatis non deficere in ascesi, neque diaboli phantasias timere et daemonum eius.

41. « Quoniam quasi *insipiens* factus sum [1] haec dicendo, hoc quoque accipiatis ne timeatis, et credite me non mentiri. Pulsavit aliquando ianuam monasterii mei, et egressus aliquem vidi longum et excelsum apparentem; eum interrogavi : « Quis es ? » Respondit : « Ego sum Satanas »; dixi ei : « Quid * (*verso*) hic facis ? » Tum ille : « Cur monachi et christiani me frustra accusant ? Cur mihi maledicunt ? » Dixi ei : « Cur tu illos molestas ? » — « Non ego, ait, sed illi ipsi me turbant; ego infirmus factus sum; nonne legerunt hoc : *Inimici defecerunt frameae* omnino *et urbes destruxisti* [2] ? Deinceps nullum iam habeo locum, nullum telum, nullam urbem; christiani ubique facti sunt; desertum ipsum repletum est monachis; se ipsi observent nec mihi frustra maledicant ». His autem ab isto dictis, gratiam Dei admiratus sum. Inimice, mendax es neque unquam veritatem dixisti; hoc tamen nunc vere, licet invitus, dixisti; Christus veniens te infirmum fecit, * p. 116

C 3

* et deiecit et denudavit. Christi nomine audito, ardorem eius tolerare non potuit, et videri cessavit. * p. 117

42. « Nunc igitur si diabolus ipse confitetur nullam habere potestatem, illum et daemones eius contemnere debemus. Inimicus enim et canes eius dolos habent; nos vero debilitatem eorum scivimus, eos contemnamus, ne animo ante illos nos prosternamus, neu <...> animam debilem esse, neu timeamus dicentes : « Forte venit daemonium et me prosternit, derepente super me veniens et me perturbans. » Ne talem cogitemus rem, quia perituri simus, sed confidamus magis et gaudeamus

2 Luc., X, 18. — 3 I *Cor.*, IV, 6.
41. 1 Cf. II *Cor.*, XI, 16; XII, 6, 11. — 2 *Ps.* IX, 7.

semper quasi salutem consecuturi. Hoc cogitemus, Dominum nobiscum esse qui eos vicit et abolevit. Cogitemus autem etiam et reputemus animo, cum Dominus semper nobiscum sit* (*verso*) nihil mali inimicum nobis facere posse. Accedentes enim, quales nos invenerint, tales ipsi nobis fient, et secundum cogitationes quas in nobis invenerint, ipsi phantasias adversus nos efficient. Si autem nos timentes et turbatos invenerint, ipsi quasi fures locum non custoditum invenientes, contra nos statim surgent, et quod animo cogitamus augentes nobis facient. Nam si nos invenerint timentes et infirmos, timorem augent phantasia et minis, ac demum animam iis castigant; sin autem nos vident gaudentes in Domino et animo de futuris bonis cogitantes et nobiscum reputantes omnia in manibus Domini esse, neque ullum daemonem posse [...

(* p. 118)

C 4

42. * « ...] retro. Ita inimicus Iob invenit firmatum et ab illo recessit; Iudam vero ab his solutum inveniens, captivum abduxit, ita ut, si inimicum contemnere volumus, [...
...] enim valde sunt, sicut praedixi, *ignem sibi paratum* prospicientes [1].

(* p. 119)

43. « Signum enim habetis adversus eos, ne eos timeatis [... (*verso*) ...] apparitio sancta sit quae tibi revelata erit, eum laetificabit et timor eius in gaudium vertetur [...
...] « Quis es, et unde venisti? » Ita filius Nave sciscitatus scivit [1]; neque inimicus Daniel interrogantem latuit [2].

C 5

91. * ...] incorruptum in resurrectione mortuorum. [Mea] autem vestimenta divid[ite], et Athanasio episcopo date pelliceam meam vestem melotem, et tegimentum [super quod] dormiebam, quod mihi [dedit...
...] et vobiscum non sum abhinc ».

(* p. 120)

42. 1 Cf. MATTH., XXV, 41.
43. 1 Cf. *Ios.*, V, 13. — 2 *Num.*, XXIV, 5-6.

92. Haec autem cum dixisset eum osculati sunt illi; oculos sustulit et vidit eos qui ut amici obviam ei venerant, et propter eos laetatus est; nam vultus eius hilaris erat cum iaceret [... (*verso*) ...] neque quisquam novit ubi inhumatus sit, praeter duos fratres illos solos. Ille autem qui melotem beat[i An]tonii accepit, et tegimentum ab eo detritum, ea custodit sibi [...

93. ...] Nam haec quidem pauca sunt pro virtute et ascesi illius. Vos vero ipsi existimate animo ex his qualis fuer[it An]tonius [ho]mo [Dei...

CODEX D

D 1

* p. 121 * *Abbas Athanasius archiepiscopus Alexandriae. — Item super mortem magni Antonii anachoretae.*

91. Post autem paucos dies aegrotavit eosque qui apud eum erant vocavit; duo autem erant, qui intus apud eum remansere per quindecim circiter annos, ascetice viventes, et ministrantes ei quia senex erat; dixit eis : « Ego in via patrum meorum aeterna abiturus sum, sicut scriptum est [1]; video enim me a Domino vocatum et appellatum ut eam; vos autem vigilate, et in ascesi vestra nolite deficere in qua tanto tempore fuistis, sed estote sicut coepistis. Nunc igitur studete custodire alacritatem vestram. Novistis daemonia quae insidiantur; vidistis ea quam fera quidem sint, debilia autem viribus; ergo nolite ea timere, immo Christum semper intra vos ponite, super illum * (*verso*) requiescite, in Christo odorem emittentes; ipsi credite velut viventes, cotidie morientes. Vobis ipsis attendite, et recordamini quae a me audivistis vos docente. Ne ulla sit vobis societas cum schismaticis et Meletianis et haereticis et Arianis. Novistis enim quomodo et ipse ab istis secesserim propter propositum eorum non rectum et propositum eorum quod cum Christo pugnat. Studete ergo magis vos ipsi, et conamini quidem in omni re ut vos Domino adiungatis, deinde autem sanctis, ut, postquam mortui eritis, *vos recipiant in aeterna tabernacula* [2] quasi amicos et notos. Haec in mente vestra reponite, haec cogitate; ac si me diligitis meique curam habetis et mei tamquam patris recordamini, nolite permittere quemquam corpus meum in Aegyptum auferre, ne in domo aliqua me deponant; propter hoc enim super montem veni, et in hunc locum veni. Novistis enim quomodo semper vituperem eos qui hoc faciunt, et praeceperim eis, admonens eos ut a tali consuetudine desistant. Vos vero corpus meum inhumate et sub terra abscondite, ac verbum meum sit a vobis custoditum, quia [...

(* p. 122)

91. 1 *Ios.*, XXIII, 14. — 2 Luc., XVI, 9.

D 2

91. * ... vestimenta mea] autem div[idite...]. Da[te Athana]sio e[piscopo] ves[tem pelli]ceam me[lotem et] tegimentum [super quod] dor[miebam] et exten[ditur su]b me, quod [ille mihi dedit] cum [novum esset et nunc vetu]stum [factum est]. [Ac Sarapio]ni e[piscopo da]te [m]e[lotem meam.

(* p. 123)

92. ...]ei ut amici; propter ip[sis laetatus] est, [ita] ut vultus eius hilaris esset cum iaceret; et apparuit gaudens abiturus; atque ita spiritum suum dedit, ad patres suos et ipse appositus est. Illi vero etiam, sicut praecepit eis monita ista, funerarunt corpus eius et in terram absconderunt, neque quisquam hac[tenus] novit ubi inhu[matum] sit, praeter [duos il]los [solos]. [Ille] autem [qui melotem] be[ati accepit ...

* (*verso*) ... istis, similis] est [ges]tanti [moni]ta se[nis c]um gaudio.

(* p. 124)

93. H[aec] est finis Antonii in corpore, et hoc principium ascesis eius; ac si pauca sunt haec pro virtutibus illius, vos ipsi animo existimate qualis fuerit Antonius homo Dei; hic a iuventute sua quoad [aet]atem [ingentem] perfecit, cus[todivit opus asces]is. Non [desiderium ...

... affec]tus est. [Etenim oculi] eius sani erant, [nul]lo [affecti defectu] et b[ene] vid[ebat...]. Nul[lus e den]tibus [eius exci]dit, [sed solum] att[riti sunt] pro[pter magnam ae]tatem [senec]tu[tis eius; sa]nus [quoque...

INDEX BIBLICUS

INDEX NOMINUM ET RERUM

INDEX HUIUS TOMI

---

252 / Syr.110. A. DE HALLEUX, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, III. Livre de la Perfection,* 2me Partie (ch. 8-14). 1965. 164 p. — V : vol. 253. Cfr vol. 200, 214, 254.
253 / *Syr.111.* A. DE HALLEUX, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, III. Livre de la Perfection,* 2me Partie (ch. 8-14). 1965. 171 p. — T : vol. 252. Cfr vol. 201, 215, 255.
254 / Syr.112. A. DE HALLEUX, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, IV. Lettres à des amis solitaires, Maximes sapientiales.* 1965. 108 p. — V : vol. 255. Cfr vol. 200, 214, 252.
255 / *Syr.113.* A. DE HALLEUX, *Martyrius (Sahdona). œuvres spirituelles, IV. Lettres à des amis solitaires, Maximes sapientiales.* 1965. 124 p. — T : vol. 254. Cfr vol. 201, 215, 253.
256 / Subs., 24. J. MOLITOR, *Synopsis Latina Evangeliorum Ibericorum Antiquissiorum secundum Matthaeum, Marcum, Lucam desumpta e codicibus Adysh, Opiza, Tbeth necnon e Fragmentis Biblicis et Patristicis quae dicuntur Chanmeti et Haemeti.* 1965. VI-301 p.
257 / Syr.114. W. THOMSON, *Athanasiana Syriaca.* I, 1. *De Incarnatione.* 2. *Epistula ad Epicteum.* 1965. XII-91 p. — V : vol. 258.
258 / *Syr.115.* W. THOMSON, *Athanasiana Syriaca.* I, 1. *De Incarnatione.* 2. *Epistula ad Epicteum.* 1965. I-71 p. — T : vol. 257.
259 / Aeth.49. S. KUR, *Actes de Iyasus Mo'a abbé du couvent de St-Etienne de Ḥayq.* 1965. II-60 p. — V : vol. 260.
260 / *Aeth.50.* S. KUR, *Actes de Iyasus Mo'a abbé du couvent de St-Etienne de Ḥayq.* 1965. XVI-52 p. — T : vol. 259.
261 / Aeth.51. 3 C. CONTI ROSSINI col concorso di L. RICCI, *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yā'qob (Maṣḥafa Berhān),* II. 1965. 186 p. — V : vol. 262. Cfr vol. 250.
262 / *Aeth.52.* 3 C. CONTI ROSSINI col concorso di L. RICCI, *Il Libro della Luce del Negus Zar'a Yā'qob (Maṣḥafa Berhān),* II. 1965. 103 p. — T : vol. 261. Cfr vol. 251.
263 / Iber.15. G. GARITTE, *Traités d'Hippolyte sur David et Goliath, sur le Cantique des cantiques et sur l'Antéchrist,* 1965. XII-124 p. — V : vol. 264.
264 / *Iber.16.* G. GARITTE, *Traités d'Hippolyte sur David et Goliath, sur le Cantique des cantiques et sur l'Antéchrist,* 1965. IV-95 p. — T : vol. 263.
265 / Subsidia. 25. - J. MOLITOR, *Glossarium Ibericum. Supplementum in Epistolas Catholicas et Apocalypsim antiquioris versionis.* 1965. II-122 p. Cfr vol. 228, 237, 243, 256 et 280.
266 / Subsidia. 26. - A. VÖÖBUS, *History of the School of Nisibis,* 1965. XVII-352 p.
267 / Subs., 27. - J. BLAU, *A Grammar of Christian Arabic based mainly on South-Palestinian Texts from the First Millennium,* Fasc. I : §§ 1-169. 1966. II-255 p. — Cfr vol. 276 et 279.
268 / Copt.33. - K.H. KUHN, *A Panegyric on John the Baptist,* 1966. XXI-86 p. — V : vol. 269.
269 / *Copt.34.* - K.H. KUHN, *A Panegyric on John the Baptist,* 1966. II-69 p. — T : vol. 268.
270 / Syr.116. - Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers. Sermo de Domino Nostro,* 1966. II-55 p. — V : vol. 271. Cfr vol. 154, 169, 174, 186, 198, 212, 218, 223, 240, 246 et 248.
271 / *Syr.117.* - Ed. BECK, *Des Heiligen Ephraem des Syrers Sermo de Domino Nostro,* 1966. II-56 p. — T : vol. 270. Cfr vol. 155, 170, 175, 187, 199, 213, 219, 224, 241, 247 et 249.
272 / Syr. 118. W. THOMSON, *Athanasiana Syriaca.* II, 1. *Homily on Matthew XII, 32.* 2. *Epistola ad Afros.* 3. *Tomus ad Antioche* ... XII-
58 p. — V : vol. 273. Cfr ...
273 / *Syr. 119.* W. THOMSON. ...
Afros. 3. *Tomus ad An* ...
49 p. — T : vol. 272. C ...
274 / Arab. 24. J.C.J. SANDE ...
275 / *Arab. 25.* J.C.J. SANDE ...
276 / Sub. 28. J. BLAU, *A G* ...
vol. 267.
277 / Aeth.53. V. ARRAS, *P* ...
278 / *Aeth.54.* V. ARRAS, *P* ...
279 / Sub.29. J. BLAU, *A G* ...
from the First Millenn ...
280 / Sub.30. J. MOLITOR, ...
237, 243, 256, 265.
281 / Aeth.55. J. HOFMANN ...
p. — V : vol. 282.
282 / *Aeth.56.* J. HOFMANN ...
p. — T: vol. 281.
283 / Sub.31. L. LELOIR, *Ci* ...
L'évangile de Matthieu, ...
284 / Sub.32. L. LELOIR, *Ci* ...
L'évangile de Matthieu, ...